JOANNIS PAULI OLIVA

PRÆPOSITI GENERALIS

Societatis JESU

ALLOCUTIONES

Ad ſuos in Urbe.

SIVE

EXHORTATIONES DOMESTICÆ.

Interprete JACOBO BOSCHIO.

Ejusdem Societatis Sacerdote.

PARS IV.

Pragæ, Typis Univerſitatis Carolo-Ferdinandeæ,
in Colleg. Soc: JESU ad S. Clementem. An: 1680.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendissimo P. Mag: Sac: Pal: Apost:

I. de Ang. Archiep. Urb. Vicesger.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capisuccus
Ord. Prædic: S. P. A. Magister.

EXHORTATIONES DOMESTICÆ

Habitæ

In Domo Probationis

Ad

D. ANDREÆ.

EXHORTATIO XXXVII.

VItæ Perfectio, quam tantis
ærumnis sibi comparârunt
primi Christiani, hodiéque
tantis laboribus emunt tũ
solitudinum Alumni, tum nostri per In-
dias Mißionarij, minimo facilíque labo-
re à Societatis nostræ Tironibus & Scho-
lasticis obtinetur, si modò illi ad Exem-
pla non optima cæcutiant, hi verò præ-
vis consilijs obsurdescant. Quemadmo-
dum Præsidum ductui in omnibus ob-
sequendum, ità necessarium est, ut suâ
quisq; sponte ac marte ad Virtutis me-
tam ultro decurrat.

EXHORTATIO XXXVIII.

Nisì quis in Domo Probationis stre-

nuè Virtutem excolere incipiat, nunquã deinde toto vitæ suæ tempore illius perfectionem consequetur. Ità Paulus in grandem Apostolum evasit, quia primis statim Conversionis suæ diebus Sanctitatem adeptus est. Nam nisì primo Vere floruerit, fructibus in Autumno Arbor carebit. Quare tùm denique egregij Apostolicique Operarij erimus, si, quales oportet, Tirones fuerimus.

EXHORTATIO XXXIX.

Christus Sectatores suos à Consanguineis alienos, & à Familiaribus ac necessarijs sejunctos esse voluit. Citra hanc Evangelicam sanctissimámq; cum carne & sanguine inimicitiam, nemo Religiosus aut vitam tranquillè peraget, aut sanctâ morte defungetur. Consanguineorum virtutem cordi habeamus, omní-

omníque operâ promoveamus, nullâ verò ratione negotijs eorum nos implicari patiamur. Secùs qui facit, meminerit, alios in solitarijs nemoribus, ob nimium erga sanguine junctos amorem, furto se alligâsse, alijs Fidei ac Martyrij palmã è manibus extortam fuisse.

EXHORTATIO XL.

Cupiditatum affectuúmque nostrorum victoria parùm habet utilitatis, nisi penitus profligentur, & non tam mortificentur, quàm emoriantur. Qualiscunque enim in Tironibus profani sensûs fibra remanserit, satìs ea est ad creandum periculum, Ægyptum, quam reliquêre, repetendi. Eapropter nulla nisì præclaræ virtutis exempla nos moveãt: neque aurem ijs commodemus, qui pestiferâ pietate Crucem nobis in solium,

labores in quietem mutant, &, à severa legum custodia revocatis, otij pulvinaria nobis substernunt.

EXHORTATIO XLI.

Iræ Divinæ suppliciorúmque, quibus improbi castigantur, Timor, ad consequendam conservandámque vitæ sanctitatem plurimùm conducit. Neque hunc, quippe beatitatis auctorem, metum Paulus damnavit, cùm Ecclesiam Amoris Filiam, non Ancillam pœnæ appellavit. Id palàm fit eo, quòd Christus ipse, cùm Discipulos suos apud Evangelistam ad Martyrium, hoc est præcipuũ nostri in DEum amoris argumentum, exhortatur, inferos æternáque supplicia ijs ponat ob oculos. Avertat Deus, nequando, in Religiosarum Ædium Paradiso versantibus, suppliciorum horrorem

Caco-

Cacodæmon detrahat, ut pari arte, quâ Evam, nos quoq; ad negligenda mandata violandásq; leges impellat.

EXHORTATIO XLII.

Qui Religiosæ vitæ genus semel arripuit, nisì disciplinæ studium in naturam quodammodo convertat, & ultro se ad absolutissimæ virtutis decus exstimulet, haud magnopere proficit. Actum de illo puta, qui eatenus solùm probus est, quòd inter probos degit. Jordanes quoq;, dum in alveo suo Arca constitit, fluctus suos continuit, & inhibuit cursum. At ubi illa littus attigit, ipse quoque ad ingenium rediit, & more pristino cœpit currere. Par est igitur, ut virtutem, quam semel ambire & consectari cœpimus, æquabili semper ac perpetuâ constantiâ teneamus.

EXHORTATIO XLIII.

Corporis animiq; relaxationes Religiosis Ordinibus nullâ lege vetantur; ab ijs verò minimè alienæ ſunt, qui literarum ac ſapientiæ ſtudium profitentur. Illud quidem ſatagere verus Dei ſervus debet, ut, dum corpus recreatur, mentis ardor nequaquam intepeſcat. Quapropter, nec in ipſo villæ otio, Religioſæ diſciplinæ & ſalutis alienæ cura ſeponitur. Idq; feriæ Autumnales teſtatũ faciunt: per quas noſtræ Societatis Filij ad vicinos pagos excurrunt, ut rudes edoceant, & improbos ad frugem reducant.

EXHORTATIO XLIV.

Ut illuſtre nomen, quô Chriſtus literatorum hominum Ordines inſignivit, cùm eos mundi ſalem appellavit, promereamur, à mundo penitus abhorrere neceſ-

cesse est. Prorsus ad eum modum, quo aqua, cùm à mari sejuncta in terra induratur, & mutatur in salem, si mari, quod reliquerat, denuo conjungatur, colliquescit atque dissolvitur: ità si nos, quos Deus rebus profanis eo consilio exemit, ut terræ Apostolos ministraret, profana negotia, & humanas denuo res attigerimus, & seu animo, seu corpore, Mundo, mundanisque hominibus conjuncti fuerimus, Apostolicæ Religiosæq; vitæ perfectionem amittemus.

EXHORTATIO XLV.

Sancti Reges obligatam Christo cum suis muneribus fidem eâ maximè ratione conservârunt, quòd, priusquam ea illi offerrent, eum & agnoverunt, & adorârunt. Idem veris Religiosis usuvenit, qui se cruci, non tam brevis fugitivique

vique amoris impetu, quàm ſolidæ durabiliſq; cognitionis clavo confixerunt. Samaritanorum exemplum ſequamur, qui Chriſtum mundi Salvatorem agnoverunt, non tam prodigijs à Cive ſua narratis, quàm propriâ experientiâ perſvaſi.

EXHORTATIO XLVI.

S. Ignatius, ex ambitioſo Milite Virum Apoſtolicum, & Legislatorem maximum mutatus ideo fuit, quòd in ſpelunca Manreſana totum ſe, omníque ex parte, in verum Chriſti Servum convertit. Eam ob rem tanti Patris exemplum, in hac ſui egregia transformatione, conſectari ejus Filij debent; ſic, ut ex Ægyptijs Iſraëlitæ fiant, animóſque, quos rerum caducarum vanitas infecerat, Divino amore, & Evangelicis cogitationibus impleant.

EX-

EXHORTATIO XLVII.

Nemo in Societate vitæ ſanctitatem conſequetur, niſì qui primo tempore, ex quo, paternâ relictâ domo, in Religionem ſe contulit, ardere ſtatim & lucere inceperit. Verum Thus ab adulterino eâ ratione dignoſcitur, quòd conjectum in carbones continuò fumat, & latè fragrantiam ſuam ſpargit. Quare qui Tirocinij tempore non flagrantiſſimũ virtutis ſtudium præ ſe fert, ſubinde penitus obrigeſcet. Promptitudini alacritas conjungenda, quæ in rebus adverſis exultet, nec vivere ſe arbitretur, niſì cum Chriſto, & pro Chriſto rebus deſideriíſque omnibus moriatur.

EXHORTATIO XLVIII.

Stanislaus intrà paucos menſes, quos in vitæ Religioſæ exercitatione poſuit, ſan-

sanctissimos Viros, quotquot Ecclesia veneratur, æquavit, & modò Beatorũ numero adscriptus, sacros honores Arámq; adeptus est. Porrò ad tantũ fastigium evectus est, quia sive in seculo, sive cùm apud nos viveret, deprimendi sui, & licèt esset nobilissimâ Palatinorum stirpe ortus, ad infima ministeria se abjiciendi, studia nunquam remittebat, nihil eximium, nihil quod ad laudem suam pertineret, vel quærens, vel admittens. Quòd si nos, Angelici hujus Adolescentis exemplum imitati, latere potiùs in Societate, quàm inclarescere; premi, quàm extolli; labores magìs, quàm laudes & præmia quæsierimus, Divi nostri Indigetis Palmas æquabimus, tantóq; in oculis Dei majores evademus, quantò majore diligentiâ studuerimus, nullâ, in hominum æstimatione, auctoritate ac loco esse.

EXHORTATIO XXXVII.

In Pervigilio SS. Omnium.

Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore Sanctorum omnium.

VIrtutis Vitæq; omnis PERFECTIO, cujus obtinendæ causâ tot labores ærumnásque primi Christiani susceperunt, ac tantos hodiéque sudores profundunt tum Anachoretæ, tum nostri per utramque Indiam Missionarij, multò levioribus impensis ab hujus Domûs Tironibus atque Scholasticis comparari potest. Sed enim quò hæc expeditior faciliórque istis est ob eam curam, quam de ijs Præsides gerunt, tantò gravioribus Iræ Divi-

næ ſupplicijs ſe reddunt obnoxios, niſi illam conſequantur. Qui ab agnita veritate, arreptóque Virtutis ſtudio deſciſcunt, ingens periculum adeunt, ne fœdè corruant, & ab ipſa Cruce per ſummam perfidiam deficiant. Hæc verò tam gravia pericula, turpésque adeò fugas ac proditiones vitant Scholaſtici juxtà & Tyrones, ſiquidem illi pravis conſilijs aures, hi verò exemplis non optimis oculos clauſerint. Vitæ deinde ſanctitatem conſequentur utrique, ſi poſtquam Virtutis præceptiones à Magiſtris hauſerint, ſuâ ſponte ad metam Religioſæ Diſciplinæ decurrent, nec ignavorum deſidiam, neque dehortantium clamores morati.

1. SUb hodiernæ Lucis occasũ Ecclesia Divini Numinis sponsa, & electorum ejus filiorum Mater, indictis per omnia Templa supplicationib⁹, nõ tam eorũ Cœlitũ, qui Dei conspectu in felicissimo illo regno beantur, memoriam, trophæa, & triumphos recolit, quàm eorum, qui fideli perfectóque obsequio, dum in mortali hac vita degerent, & accurata Virtutum omnium exercitatione illud sibi promereri studuerunt. Nempe non eorum illa nobis Palmas præsenti celebritate repræsentat, qui cœlestis Patriæ felicitate potiti sunt, sed qui sanctè in hoc exilio vixerunt. Plurimi enim beatæ illius Civitatis pace tranquillitatéque fruuntur, quorum nomina nec Vaticani Codices consecrârũt, nec cineres Christus illustrat prodigijs. Atque hoc vel inde manifestum est, quòd, licèt Christiana Justitia sibi certò persuadeat, Latrones capitali supplicio adjudicatos, postquam sua commissa damnârint, & scelera lachrimis eluerint, ad cœlestem gloriam evolâsse, beatéque degere, nihi-

lominùs eorum interim corpora palis infixa, & vulturibus expoſita æternâ infamiâ notare conſueverit. Ijs verò qui præclaris facinoribus, & magnanimis conſilijs in hac ad Patriam peregrinatione ſe ſupra cæteros extulêre, magnificas ædes fidelium Congregatio dedicat, eorúmque Tumulos tum prodigiorum gloriâ, tum adoratorum frequentiâ Numen exornat, & conſecrat immortalitati. Ad horum itaque Heroum imitationem tum Vos, tum meipſum exſtimulare in præſentia, & ad parandum nobis Evangelicæ perfectionis decus animare conſtitui, cujus videlicet ſtudio, relictis paternæ Domûs otio & commodis, felices ad ærumnas, beatóſque labores, quibus in Dei Domo exercemur, ad Societatem nos contulimus. Et huc quidem non eâ mente commigravimus, ut quomodocunque ſalutem noſtram in tuto collocaremus: hoc enim humile nimis, abjectúmque conſilium foret; ſed ut Sanctitatem jam tum nobis à Deo propoſitam, cùm nos ad hoc vitæ inſtitutum pro divina

ſua clementia vocavit, & Apoſtolicam Perfectionem conſequeremur. Jam verò ut certam in dicendo rationem ordinémque ineamus, exponam primùm, quàm facilis, quámque neceſſaria nobis Societatis Religioſis Vitæ Sanctitas ſit: & ſubinde, quoniam ad eos Juvenes verba facio, quorum alii Tyrocinij tempora expleverunt, alij nuper inchoârunt, utriſque efficaciſſimum Antidotum miniſtrabo; illis, ut quam conſecuti Virtutem ſunt, medios inter ſtudiorum labores, ſtrepitúsque litterarum, nunquam deperdant; his verò, ut eam conſequantur: utique cùm ſolidum illis biennium, ab omni litterarum aut negotiorum occupatione ſolutum ad eum ipſum finem Societas conceſſerit.

2. Facilis, & expedita hâc, quâ vivimus, tempeſtate conſequendæ ſanctitatis eſt ratio: at enim non perinde prompta illa fuit Lini, Cleti, Anacleti, Sixti, ac Petri maximè Paulíque temporibus. Quisquis enim illo ſeculo pietatem colere, Deóque vivere decreviſſet, is unà ne-

cessitatem sibi imponebat pretiosam Virtutis margaritam in vastis nemoribus, feras inter belluas procul à civili consuetudine quærendi, aut certè, si excedere urbibus nollet, vivum se tumulandi, & intra Catacumbas extra cœli Solísque aspectum delitescendi. Quid? quisquis per ea nascentis Ecclesiæ tempora morum integritatem sanctitatémque consectabatur, is patrimonium Fisco, famam calumnijs, corpus catenis, rotis, Equuleis, vitam denique Lictorum arbitrio, & crudelitati Carnificum addicere cogebatur. Religiosè piéq; difficillimis illis atrocissimísque temporibus viventium alios Ursi, Leones, Tigres laniabant, alios Gladiatores concidebant, alij è turribus præcipitabantur, alij fluvijs mergebantur, alij Crucibus affigebantur, aut ex arboribus suspendebantur: alij membratim dividebantur, alij demum superjectis rupibus opprimebantur, aut vastis voraginibus vivi videntésque hauriebantur. Quodsi quis tantam barbariem non ferens vitam in Evangelij professione protrahere aliquan-

quantò diutiùs vellet, is cum Paulo Anachoretarum Principe in ſolitudines fugiebat, ipſis propè Leopardis impervias, vel cum Athanaſio Majorum ſuorum ſepulchra habitabat. Atque hoc pretio Vitæ ſanctitas trecentis & amplius annis comparabatur. Diverſâ ratione nobiſcum hoc ſeculo agitur, quo pietatem colere non fas modò, verùm etiam glorioſum eſt: Quippe ii maximè coluntur, celebrantur & amantur, qui maximè ſanctitati ſtudent. Quæ cùm ita ſint, quantum foret ætatis hujus noſtrúmq; propriè dedecus, ſi tum quoque, cùm Virtutis ſtudium Magiſtratuum inſignibus, nobilitatis honoribus, fortunis denique omnibus ſectatores ſuos ſpoliaret, innumerabiles tamen reperti ſunt, qui tanto impendio Crucem amplecterentur, germanámque Dei Crucifixi effigiem in ſeipſis exprimerent, ſi, inquam, raros ea nunc Aſſeclas haberet, paucíque adeò forent è nobis, qui vel Calvarij, vel Sinai montis apicem ſcanderent, ſive ut Chriſto commorerentur, ſive ut Deo ſe quàm tenaciſſimo nexu conjunge-

rent? Hæc querebatur, hæc amarissimis lachrimis deplorabat S. Ephræm, cùm videret Cœnobium suum nondum in Cherubinorum cœtum commigrâsse, qui Divino amore succensi, & corporum suorum planè obliti, rerúmque omnium, quæ Mundus appellantur, pertæsi, nihil jam præter Charitatem & animum, qui ardere posset, haberent. NULLIS, inquit, PRORSUS PERSECUTORUM TERRORIBUS *divinæ dilectionis* FERVOR *in sacris ipsorum pectoribus extingui unquam potuit. Nos verò* ETIAM IN REQUIE ATQUE DELICIIS *diligere benignissimum Dominum detrectamus.*

De Laud. SS. Martyr. To. 3o, 123.

3. Id verò, quod Divus Ephræm Monachis discipulis suis, objecit, ut qui divino amore medias inter Holocaustorum flammas, & sacri Thuris odores, altissimáque in Religiosæ vitæ pace non arderent, multò justiùs ego queri possem, si persuasum haberem esse inter Nos aliquem, qui non totâ contentione animi ad summum absolutissimæ Virtutis apicem rape-

raperetur. Et ille quidem fieri nullâ ratione posse arbitrabatur, ut, cùm Christi cultores candentibus Craticulis impositi, flagrísque dirum in modum concisi, ad perfectissimæ Charitatis metas alacres lætíque festinarent, Religiosi deinde viri, quos nullis compedibus Tyranni adstringunt, non Barbari tormentis excruciant, non feræ belluæ dentibus unguibúsque per ludum in Amphitheatro discerpunt, virtutum factis extendere, præclarísque facinoribus se nobilitare negligunt, quamvis ad id Præsidum hortatu, æqualium approbatione, festísque omnium acclamationibus provocentur. NON ENIM VALUIT IMMENSA POENARUM VIS JUSTORUM ANIMOS FLECTERE, *nec Mors ipsa tantæ charitatis ardorem ullatenus potuit extinguere. Quam ergo nos excusationem habebimus apud Deum,* Ibid. QUI ABSQUE ULLA PERSECUTIONIS ATROCITATE, *tormentorúmque vi*, CHARITATEM DEI, *vitámque nostram* NEGLEXIMUS? Atqui severissimum illud institutum sequen-

tibus non ita pronum erat, Virtutis perfectionem consequi. Quippe, ut taceam solitudinis ab humano commercio, ac civili usu sepositæ horrorem, vestitus ijs asperrimus, victus tenuissimus, nullóque sapore imbutus, continuata jejunia, quotidianæ vigiliæ, quies aut nulla aut brevissima, & super nudam humum, mutum silentium, longissima precandi, & perpetua psallendi spatia ijs erant. Ut adeò quæ Tyrannorum crudelitas, & Proconsulum barbaries Martyribus tormenta ingerebant, ipsi severissimæ Disciplinæ rigore non multum à Martyrio abhorrente sibi ultrò inferrent. Etsi enim atrocitate vulnerum, & asperitate vinculorum ea vivendi ratio martyrio concederet; proximè tamen ad illud accedebat sponte susceptorum cruciatuum acerbitate, quâ singula corporis membra non macerabant, sed distrahebant & excarnificabant quodammodo. De his ipsis tamen Ephræm scripserat: IN REQUIE, ATQUE DELICIIS *diligere Dominum benignissimum detrectamus.* Agite jam, & quid

quid de Nobis dicendum foret, judicate; si Perfectionem religiosam exactâ Rituum nostrorum observantiâ comparare nobis per summam ignaviam negligeremus, eâ nimirum consuetudine vivendi, quæ ùt cordis munditie, demissione animi, custodiâ sensuum, humanæ salutis studio, cognati sanguinis oblivione, paternarum opum exspoliatione, Indifferentiâ ad quaslibet Orbis plagas, Obedientiâ summis Pontificibus, nostrísque Præsidibus votâ, egregia prorsus est & insignis, ita eadem est in victûs, vestitûs, habitationis, affligendi se, divináque meditandi ratione mitis, & prudenti moderatione temperatur. In hac ipsa tamen quantumvis moderata vitæ Disciplina qui prorsus & ex animo Deo se consecrat, Legibus, quas S. Parenti nostro Divinus dictavit Spiritus, & Dei Vicarij cum insigni commendatione confirmârunt, examussim obtemperat, tantos in Virtute progressus facit, ut vivus prodigiosis facinoribus inclarescat, & publico cultu, consecratísque nomini suo Altaribus exornetur defunctus. Id

certè

certè Stanislaus, Aloyſius, gemini Franciſci, tréſque Martyres noſtri experti ſunt, experientúrque etiam, cùm Deo viſum fuerit, tot alij de Societate, quos Annales noſtri rerum geſtarum magnitudine, multitudine prodigiorum, vitæ integritate celeberrimis quibusque Dei ſervis æquârunt, Gentéſque totæ paſſim per utrumque Orbem privatâ pietate venerantur, & votis vocare conſueverunt: fama verò dignos prædicat publicis honoribus, quos Romana Eccleſia ijs decernit, quicunque rebus pro Deo, Chriſtianáque Republica præclarè geſtis vitam ſuam illuſtrârunt. Eam ob rem ego ut Patribus Fratribúſque noſtris omnibus geminos, eóſque communes Tumulos ponere liceret, vehementer optarem. Alterum ex his auro, gemmíſque beatæ Civitatis illius conſtare vellem, in quo ſcilicet eorum oſſa quieſcerent, qui, cùm inter Nos viverent, vitam egerunt omni Virtutis laude cumulatiſſimam: adderémque inſuper inſculptum Jaſpidi epitaphium ejuſmodi: *Viſi ſunt oculis inſipientium mori,*

ILLI AUTEM SUNT IN PACE. Sap. 3. 1.
Alterum porrò ſepulchrum è duriſſimo ſilice rudibus atque ignobilibus tophis conſtruerem, in quod illorum cineres abijcerentur, qui, cùm potuiſſent, Legum ſanè non duriſſimarum cuſtodiâ, Virtutem omnibus numeris abſolutam ſibi comparare, ad hanc ipſam tamen moderatiſſimam vivendi rationem mores ſuos componere grave ſibi duxerunt. Tum infelicium illorum ſepulchrali Lapidi Titulum inſcriberem illum ipſum, quo digni ſunt, & quem David tantæ rei indignitate commotus, ijſdem aptavit. PRO NIHILO HABUERUNT TERRAM DESIDERABILEM. Vah Cadavera omnium quæ ubivis terrarum jacent longè infeliciſſima! quæ tam deſides animos hoſpitio accepiſtis, ut ad nobiles Evangelicorum Conſiliorum Palmas ne per ſemitam quidem Lilijs roſisque conſtratam curſum capeſſere ſuſtinuerint. Quid namque homini accidere jucundius vel poteſt vel debet, quàm videre ſe in Sanctorum virorum cenſum venire citra ullum

lum feralium tormentorum apparatum, qualia ſcilicet Martyribus ſubeunda fuêre: citra nemorum vaſtiſſimarúmque ſolitudinum horrorem, quas Anachoretæ incoluêre: citra diriſſimos illos cruciatus ac lanienas, quibus Deus plerosque Cultores Majeſtatis ſuæ, chariſſimíque Filij ſui Diſcipulos excarnificari paſſus eſt, cùm eorum alij vulneribus deformati, alij fœdis ſtigmatibus inuſti vitam exegerint, & mortem vel lento igne toſti, vel fluminibus hauſti oppetierint? Jobo, Tobiæ, Abrahamo, Alexio, primo, ſecundo, tertio Franciſcis, geminis Macarijs, tot Stylitis quantò Sanctitas ſtetit? Eam tamen illi quovis impendio, licèt filius immolandus, deſerendus Sponſæ thalamus, abdicandi Principatus, humana omnia, ipſáque adeò humana conſuetudo deſerenda, & omnibus cœli temporúmque injurijs corpora columnis ſtatuarum inſtar impoſita diu noctúque exponenda forent, emendam ſibi putaverunt. Et vos miſerrimi hominum, quibus facilitas tanta, & tam vera felicitas obtigerat, celeber-

berrimorum illorum Heroum triumphos æquandi, ita duntaxat, ut Legibus illis, quæ nobis in hoc exilio degentibus cœlestis Patriæ beatitatem pari tranquillitate mentis, vitæq; innocentiâ repræsentabant, religiosè obtemperaretis: atq; interim per summam vecordiam vitæ perfectæ sanctitatis gloriâ excidistis. Id porrò animum meum vehementer angit & torquet, quòd inter segnes strenuósque virtutis cultores minimum in vivendi ratione discrimen intersit, ex altera verò parte meritis ac præmijs inter se maximo intervallo distent. Omnes, qui sub Ignatij signis militant, rem ac substantiam hujus vitæ instituti tuentur ac retinent, cùm nemo toleretur apud nos, cui dicti per Vota Sacramenti fides vacillet, quíque à communi more, consuetáque vitæ ratione recedat. Itaque temperatus ille Virtutis modus atque perfectio, cujus ornamenta degeneres Societatis non filij, sed privigni sibi stolidè invident, & quorum flagrantissimo studio tenetur legitima Matris nostræ soboles, id demum est, quod incu-

rios

rios ſuíque negligentes infauſtæ memoriæ arenâ tumulat, & amatores ſuos immortalibus laudibus ornat, & ſempiternæ gloriæ nomen eorum atque oſſa commendat. Hinc eſt, quòd Naamani Hiſtoriam nunquam ſine maxima vultûs confuſione legam. Videntur enim mihi quotquot Cœlo Patres noſtri regnant, ijſdem me verbis compellare, quibus Princeps ille à familiaribus ſuis olim admonitus fuit. Atque huic quidem Eliſæi, ut ſe Jordane ablueret, Leprámque abſtergeret, dignâ Vate conſtantiâ ſuadentis monitis obſequi grave moleſtúmque videbatur. Siccine autem, inquiebant illi, rem tantulam exequi gravaris, qui, ſi à Viro illo diviniſſimo juſſus fuiſſes ferventibus balneis, ſulphureíſque ſtagnis nudum corpus immergere, ut fœdam è vultu ſcabiem, quæ à familiaritate Principis tui te ſegregat, detergeres, obtemperare tamen mandatis debueras? Quantò igitur nocentior, Regíque tuo ingratior redibis, quòd ſepties puriſſimo Jordanis latice tingere te fueris dedignatus? PATER, ET SI

REM

REM GRANDEM *dixisset tibi Propheta, certè facere debueras: quantò magis quia nunc dixit tibi: Lavare & mundaberis.* Totidem verbis ipse quoque Adolescentes nostros, ac modò Virtutis stadiū ingressos, nupérque admodum Deo per religiosa Vota consecratos literarum Studiosos compello. Si pane frigidáque vitam tolerare pluribus per annum mensibus juberemini, velut id Antonius Abbas ab alumnis suis exegit: si precibus à Solis occasu usque ad auroram incumbendi necessitatem Lex vobis aut consuetudo imponeret, quemadmodum Anachoretarum & Monachorum multi positum in more habuerunt: si corpora vestra loricâ vel Camelorum pilis tegerentur, qui Guilielmo in Aquitania, & ad Jordanem Joanni cultus fuit; deberetis nihilominùs tantis, támque grandibus exquisitissimæ austeritatis impensis Sanctitatis Diademata licitari. *Etsi* REM GRANDEM DIXISSET *tibi Propheta*, CERTE FACERE DEBUERAS. Nunc verò, cùm non aliud à vobis postuletur, quàm ut victu vestitúque

non incommodo inſtructi Legibus noſtris obtemperetis, uſitatam apud nos affli-ctandi corporis normam ſectemini, cum Deo unâ alteráque per diem horâ, eâ, quæ mente peragitur, precatione colloquamini: Philoſophiæ humanitatíſque ſtudijs ſacrorum Voluminum lectionem meditationémque conjungatis: mentem ab omni vel minima labe puram conſervetis: communem mortalium omnium ſalutem promovere ſive ardentibus per fora ſermonibus, ſive privatis in ludo litterario colloquijs, ſemper autem & ubique homines improbos egregijs morum vitæque totius exemplis caſtigare, & ad Virtutem provocare ſtudeatis, cùm, inquam, nihil amplius à vobis exquiratur, repugnare tam blandis Virtutis illicijs poteritis? *Quantò magis, quia nunc dixit tibi: Lavare & mundaberis.* Neq; id nunc à vobis petitur, ut Miſſionariorum noſtrorum labores æquetis, qui ſeu per Europam obſitos nivibus montes percurſant, ſtramentis indormiunt, leguminibus inediam explent; ſeu apud Indos omni panis ac vini

uſu

usu destituti, nudis pedibus, & rudi cannabe malè tecti post enavigata immensa marium spatia, Æquatoris æstum, & Sericæ frigora tolerant, è vimine juncóque palustri contexta tuguria habitant, fontanâ sitim, crudis radicibus & oryzâ maceratâ potiùs, quàm coctâ, famem pellunt. Tam duræ Exercitationes, ærumnæ tam laboriosæ, tam gravia, manifestáq; pericula reservantur olim studiis vestris, atque interim id solùm à vobis exigitur, ut religiosi Scholastici mores, vitámque numeris omnibus absolutam nobis repræsentetis. Quod si ergo, ut illustribus Sanctitate viris adnumerarentur, sanguinem Martyres, Anachoretæ sudores, & copiosissimas lachrimas profuderunt, Patres verò nostri tam asperum vivendi genus in ijs, quas excolunt, regionibus secuti sunt, hodiéque sequuntur, fieríne potest, ut vos inter pietatis & sapientiæ delicias Virtutem aversemini?

4. Enimverò, si cùm tam pronus vobis ad Sanctitatis metam sit cursus, quâ ratione desidiam vestram vel Deo, vel ho-

minibus excuſare poſſetis, ſi nullâ ejus contingendæ curâ tangeremini? Admonere proinde reſtitantes debeo, in religioſis ædibus geminas haſce res, acquirendæ videlicet Perfectionis facilitatem, & conſequendæ neceſſitatem inſolubili vinculo colligatas eſſe. Donec intra Domeſticos parentum noſtrorum parietes verſabamur, ſolâ divinorum mandatorum reverentiâ ſalutem noſtram in tuto collocare licuit. At verò, poſtquam in Chriſti familiam adlecti, & ſupra plebejorum animorum ſortem, utcunque ab Eccleſia toleratam, evecti ſumus; nobilitatis Chriſtianæ dignitatem conſecuti, & à Reparatore noſtro in Primogenitos Evangelii ſui filios & Crucis ſuæ Sectatores cooptati ſumus, ad concipiendos majores ſpiritus, ſuſcipienda fortiora conſilia, ſanctiorem vitæ rationem ipſa nos gradûs, in quo ſtamus, altitudo præſtantiáque adſtringit. Equidem in Ægypti paludibus arundinum aut myricarum inſtar à terra caput attollere ſatìs erat: nunc verò cùm Divina Clementia nos inde evocârit, & in

in Carmelum, Libanúmque transtulerit, nisi in odoratas Cedros, vel in fortissimas Abietes, quæ Dei Templum exornent, & seculi hujus tempestatibus insultent, assurgimus, securim ac flammas expectare necessum erit. Id scilicet Joannes Palæstinæ populis ominatus est, & Matthæus denunciavit nobis. *Ne velitis dicere intra vos:* PATREM HABEMUS ABRAHAM: Matth. 3. 9. idipsum quippe, quòd ex electa Sanctissimorum Patriarcharum stirpe descendatis, insignem à vobis morum integritatem requirit, quam videlicet non eodem iure ab Esaui posteris, & Agaris abnepotibus exigas. Quam ob rem aut fructus veluti totidem Vitæ arbores proferatis, aut divini furoris fulmina, perpetuámque sterilitatem expectetis oportet. *Omnis ergo Arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Quis subinde quantúsque sit Ignis, quem Joannes infructuosis iis arboribus minatur, quæ in Dei Viridariis consitæ sunt, cogitatione faciliùs, quàm oratione possumus assequi. Id certum, flammam ejusmodi vel ipsis

inferorum ignibus exitialiorem esse. Hi enim Iræ Divinæ ministri sunt, illæ Dei Legi adversantur: illi pœnæ, hæ culpæ sunt. Utinam verò paucos ejusmodi Ramos numerare liceret, qui è Stirpibus Ordinum sacrorum cœlestibus excisi securibus, & in Babylonis plateas rejecti experientiâ Magistrâ didicerunt, quàm verè ab Evangelistis dictum sit, quòd eos, qui religiosis è cœtibus amputati fuerunt, flammæ, atque ictos incendia excipiant. *Excidetur*: non quidem ut in profanæ licentiæ pratis otiosè jaceat, sed ut inter Desolatorios Innocentiæ Christianæ Carbones æternùm ardeat. *Excidetur, & in ignem mittetur.* Neque injuriâ supplicio tam gravi addicuntur ii, qui Christi hortos inumbrant, & sterilitate se ipsos damnârunt. Quippe, cùm Vitæ Sanctitas ijs tam obvia & prompta sit, merentur sanè in cineres redigi, qui eam negligunt, contemnúntque. Atque ad hanc ipsam se se perficiendi facilitatem usitata hoc loco Stirpis Metaphora videtur respexisse. Cùm enim Evæ Filiæ maxima cum diffi-

cul-

cultate, dirísque cruciatibus partus ſuos edant; Arbores contrà tanta cum voluptate fœtus ſuos enituntur, ut priuſquam poma proferant, floribus ſe ornent, virorem explicent, & lætæ ridentéſque quodammodò ad maturitatem fructus ſuos perducant. Æquum proinde videtur, ut, qui vel levi negotio, vel etiam cum voluptate, Chriſto ſe per abſolutæ Virtutis oſculum conjungere poteſt, ídque nolit, aſpernetúrque, hanc ſuam cœleſti Gratiæ tam injurioſam, & in Deum, cujus munere ad hoc vitæ genus vocatus eſt, longè ingratiſſimâ vecordiam noviſſimis ſupplicijs expiet. Nunquam excidat è memoria, quàm acris in eum lata ſententia ſit, qui de commiſſo ſibi Talento quæſtum facere omiſit. Recurrat animo, quàm falsè deriſus fuerit ille, qui poſt jacta fundamenta molem ad faſtigium non perduxit. Quid multis? OMNIS ARBOR, *quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Perfacilis nimirum obtentu Sanctitas eſt, ſed ut eam obtineamus, maximopere neceſſarium eſt.

5. Neque dicas, homines noſtros univerſos, veluti fœcundiſſimas Arbores, admirabile illud Divinæ Vocationis Pomum jam tum protuliſſe, cùm desertâ patriâ, patrimonio abjecto, neglecto parentum amore, Togæ, Sagíque contemptis ornamentis in Calvarij montis verticem Chriſtum, eidem cum ipſo Cruci configendi, proſecuti fuimus. Et verò acquieſcere forſan hìc poſſemus, niſi Evangelica illa ſententia neceſſitatem nobis imponeret nunquam non fructus producendi. Non enim Matthæus, *Omnis arbor*, inquit, QUÆ NON FECIT, ſed, QUÆ NON FACIT *fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Haud igitur ſat eſt, ut ne ferrum ac flammas timere debeamus, quòd primis illis diebus aut menſibus, quibus nos ex Ægyptijs vallibus ad Terræ ſanctæ beatos Colles recepimus, frugi arbores viſi fuerimus, niſi cœptam ubertatem novis identidem egregiæ Virtutis fructibus, paribúſque illi, quo Mundum proculcavimus, facinoribus editis proſequamur, ac conſervemus.

Omnis

Omnis arbor, quæ non FACIT *fructum bonum, excidetur.* Adeò autem extra dubium eſt, veterem fœcunditatem, ſi quando ad eam religioſæ diſciplinæ incuria, & in agendo deſidia conſequatur, non ſufficere, ut vel hoc ipſo nomine, quòd olim tantâ animi magnitudine fuimus, gravioribus etiam ſuppliciis fiamus obnoxii. Cujus rei admirabile Paradigma viceſimum primum Numerorum Caput nobis exhibet. Nunquam Deus, ùt ego quidem exiſtimo, graviori Indignatione deteſtatus Hebræam Gentem fuit, aut ſeveriores ab ea pœnas exegit, quàm cùm veneno flammas conjunxit, ceu parum eſſet ſupplicij in alterutro, & ardentibus Iræ ſuæ prunis immitium Serpentum virus accendit; ut arderent pariter, & laniarentur, & contractâ in unum flammarum juxta & toxici geminâ peſte, inaudito mortis genere perduelles plecterentur. *Miſit Dominus* IN POPULUM IGNITOS SERPENTES, *ad quorum plagas, & mortes plurimorum venerunt ad Moyſen, atque dixerunt: Peccavimus.* Neque hoc *Num. 21. 6.*

ſatìs: non ſolùm enim violentiſſimâ atque acerbiſſimâ ſtrage, quemadmodum audîſtis, in eos ſævitum eſt; verùm etiam, ut graſſantis per omnium capita mortis curſus ſiſteretur, neceſſe fuit, ut in ipſo ſupplicii loco Calvarij myſteria, ſchemate anticipato, repræſentarentur, & Meſſiæ in Crucem olim agendi figura facto ex ære Serpente, & è ſtipite ſuſpenſo tantò antè adumbraretur. *Fac Serpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, vivet.* Quod verò iſtorum tam atrox facinus, tam ſacrilegam impietatem fuiſſe putatis, ut haud aliâ morte, quàm titionibus in colubros converſis tollendi viderentur, nec ſalutem vitámque reciperent, quàm Æterni Verbi è ferali Trabe ſuſpenſi ſacratiſſimo ſymbolo, divináque Imagine jam tum expreſsâ? An fortè in ea planitie impuriſſimorum Numinum erectis ſtatuis inſanientis populi perfidia Deum ejurârat, Religionémque ſuperſtitione mutaverat? Non ſanè. At enim in Sanctuarij Miniſtros conjuratione factâ, Tribuum Principes Aaronem ac Moyſen Sy-

Synagogæ Pontifices lapides ſuſtulerant? Minimè gentium. Quid autem? numquid Circumciſionis notam non ferentes militares animi, Chananæorum, & Gergezæorum ſacris initiati, earum gentium Idolis thus adoleverant? Nihil horum. Cauſam, ne diutius vos moretur oratio, accipite. Neſcio quæ nauſea & cœleſtis illius cibi ſatietas Dei manibus tam inuſitata furoris ſui inſtrumenta extorſit, & tantam in chariſſimo ipſi populo ſtragem edidit. En vobis omnem illius judicij rationem, & prodigioſæ illius horrendæque pœnæ originem. *Anima noſtra jam* NAUSEAT SUPER CIBO ISTO LEVISSIMO. Hoc crimen: illud erat ſupplicium, quod continuò ſacer Scriptor ſubjungit. QVAM OB REM *miſit Dominus in populum ignitos Serpentes.* Tam gravi autem, inquis, ſupplicio tam leves querelæ vindicantur, & Iſraëlitarum agmina tantâ internecione delentur? ſic eſt. Incredibile enim dictu eſt, quàm Deus ſuperbo illo favorum ſuorum faſtidio ſit offenſus, cùm iſti viliſſimi cibi nomine Pa-

nem

nem illum Angelicum appellarent, quem nuper prodigiosi commeatûs genus, & admirandam prorsus Annonam vocitârant. *Quod cùm vidissent Filij Israël, dixerunt ad invicem: Manhu, quod significat*, QUID EST HOC? Perinde ac si Deus diceret: Vah populi fæcem! Prô vilia mancipia, támque indigna beneficiis, quàm digna suppliciis! Vos itaque Coriandrum illud pedibus conculcatis, quod paucis ante annis festo manuum plausu in cœlum ferebatis, cœlestem escam & Divinum frumentum appellare soliti? Vósne autem audeatis dicere: Anima nostra jam NAUSEAT *super cibo isto* LEVISSIMO: qui quondam clamabatis: MANHU? *quid est hoc?* Nunc ego vos appello, Patres fratrésque, prô quanti damni causa idipsum Nobis quoque potest existere, quòd tantis laudibus divinam erga nos Clementiam sub prima religiosæ vitæ tempora exaltavimus, cùm primis ardoribus æstuantes, & voluptatis magnitudine à sensibus quodammodò alienati, illud Divinæ Sponsæ frequenter in ore haberemus, testati Myr-

Exod. 16. 15.

rham

rham à nobis cuivis fragrantiſſimo Balſamo, & Religioſæ veſtis Centones Conſulum Purpuræ, regiíſque Paludamentis longiſſimè anteferri: FASCICULUS *Myrrhæ*, inquiebamus, INTER UBERA MEA *commorabitur*: ſi deinde qualiſcunque auſteritatis noſtræ pertæſi eam, quam veluti chariſſimam gemmam à pectore nunquam removere oportuit, ad pedes velut ædium purgamentum abiiciamus. Caveant proinde ſinguli atque univerſi, ne Vitæ religioſæ, quâ ſe tam felices olim exiſtimârunt, ut Regalibus ſoliis vaſtiſſimíſque Imperijs contemptam vulgò irriſámque Crucis ignobilitatem præponere non dubitârint, faſtidio ſubinde capiantur: id enim haud aliud foret, quàm cum calonibus illis vociferari: *Anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo*, de quo tot laudes protuleramus, & nobiliſſima Encomia conſcripſeramus. Certè par pœna parem culpam ſequeretur: & cum degeneri populo nos quoque voracibus flammis cederemus in prædam. Temperare mihi hoc loco nequeo, quin, quod

Cant. 1. 16.

Ju-

Juveni mihi contigit, vobis referam. Inter eos, qui magno numero egregiæ pietatis laude Romanam Academiã eâ tempestate illustrabant, fuit nonnemo, qui, audiente me, ac suprà quàm dici possit, indignante, religiosam suam, & minimarum rerum observantiam, quâ sub prima Tyrocinij minutissimos Legum apices cõsectari consvevisset, joco traducere cœpit, nec sine risu commemorare, quàm acribus stimulis animus suus id temporis foderetur, cùm ad Præsidis pedes advolutus seipsum reum ageret, quòd vocem fortè tempore non suo misisset, quòd oculum temerè aliquò conjecisset, quòd denique periodum è libro, ab Obedientia fortè non præscripto, percurrisset. Vixit is brevissimo tempore, mortémque haud quidem malam (arbitror enim Deum in hæc usque tempora à Domibus nostris id genus exitum clementissimè avertisse) sed tamen inhonoram, si causam spectes, & si modum, meritò dolendam oppetijt. Nempe infelix ille sepulchrum sibi aperuit vilissimæ placentæ esu immodico, & in-

inter homines plus justo edaciores post mortem relatus est, quòd cùm viveret, moderatè, atque è Legum præscripto viventium se numero exemit, suósque ipse ætatis primæ ardores, cœptósque cursus derisit. Discant, qui à Virtute deficiunt, amissam non reprehendere. Quodsi Manna palato nostro inter sapientiæ cupedias minùs arridet, glutiatur nihilominùs, nullâ verò ratione damnetur. Cœptam cum cupiditatibus nostris pugnam prosequamur, hæc enim est militia nostra: quodsi tamẽ imbecillitas & ignavia mentis nos à Cruce refixisset, & exosam cum toto Calvarij monte reddidisset, tum quoque, cùm ex illo descendimus, ejus fastigium proni adoremus, & radicem venerabundi deosculemur. Avertat à nobis Deus errorem tam atrocibus pœnis castigatum, ut è Thabore, in quo alium nobis vultum ac figuram aptavimus, in Gelboam transgressi, Philisthæis in prædam & mancipia cessuri, glorias nostras & præclarè gesta contemnamus, & ne principiorum nostrorum magnanima consilia

de-

deteſtabili potiùs Ironiâ ludamus, quàm, utì par eſt, egregiè cœpta urgeamus. Tametſi enim riſus abſit, quo vetera noſtra ſtudia perſtringimus, vel ipſa eorum intermiſſio graviſſimis ſuppliciis obnoxios reddit. Satìs ſupérque eſt ad calamitatem noſtram proturbandóſque nos in confinia vitiorum, Virtutem detriviſſe, tametſi eam cultu veneratione̍que proſequamur. Animos adhibete id ipſum, quod modò dicebam, demonſtranti.

6. In Solymæos Circitores incidiſſe Dei ſponſam tertium nobis Canticorum Caput memorat. Atque illa quidem per medios militum cuneos inceſſit, nullo neque verbo perſtricta, nec affecta injuriâ. Imò locum, quo, quem quærebat, facilè, repertura eſſet, à Centurionibus fuit edocta. *Invenerunt me Vigiles, qui cuſtodiunt Civitatem: num quem diligit anima mea vidiſtis? Paululùm cùm pertransîſſem eos, inveni quem dilgit anima mea.* Non ita multò pòſt alteri denuò Cohorti occurrit, ab eáque tam barbarum in morem accepta, tam inhumaniter ornatu ſuo ſpoliata,

Can. 3. 3.

tam

tam crudeliter percuſſa vulneratáque eſt, ùt manantibus ſanguine membris, ipsíſque adeò contuſis oſſibus, vix tandem inde profugerit, &, ùt erat cruenta, & inculta, ad Solymæas Virgines ſe recipere coacta fuerit. *Invenerunt me Cuſtodes qui circumeunt civitatem: percuſſerunt me, & vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi Cuſtodes murorum.* Cantic. 5. 7. Unde, quæſo, tam diverſus eorundem militum in eandem Reginam animus, amicus nuper, nunc hoſtilis? An fortè credendum eſt, eam, cùm tantâ humanitate ab ijs excepta, viámq;, quam tenere deberet, edocta fuit, armatorum manum, & aſſuetam corporis cuſtodiam ſecum duxiſſe, Vigiléſque ſine telo fuiſſe? ac tum denique tot injurijs vulneribúſque affectam fuiſſe, cùm in armatos inermis ipſa nullóque cincta præſidio incidiſſet? Fallimur. Sponſa enim cùm primò iterúmque obvias Vigilias habuit, tam ſolitariè inceſſit, ut ne pediſſequam quidem comitem haberet, neque illæ unquam vel haſtam omiſerant, vel pharetrâ humeros, enſe latus nudaverant. Quæ

causa igitur tanti discriminis? Nempe cùm Solymarũ Custodes principiò compellâsset felix ille animus, Sponso certè suo tum carebat, neque tamen id temporis tantam cum illo familiaritatem sponsa contraxerat, ut præsentia illius mirum in modum recreata posset exclamare: *Tenui eum, nec*
Cant. 3. 4. *dimittam*. Quo factum est, ut Æterni Verbi absentiam, cui nimirum illa nondum se totam addixerat, condonandam illi milites arbitrarentur. Secùs se res habuit, cùm infelix Virgo hastis transfixa, palliòque suo exuta est. Jam enim ipsi diuturna cum Deo necessitudo intercesserat; jam se illi familiari usu, ardentissimæque Charitatis officijs donaverat, propriámque dicârat: Vicissim ab eo Reginæ titulos acceperat, & omnibus Cœli Virginibus prælata fuerat. Jam illum in secretum Hortum seduxerat, & unà cum eo favos collegerat, myrrhámq; messuerat. Jam denique pro regiæ suæ limine stantis vocẽ intellexerat: *Aperi mihi Soror mea, quia caput meum plenum est rore.* Age verò si Anima quæpiam post hæc omnia in voces
ejus-

ejusmodi prorumpere audeat: Equidem fores cædentem illum audio, sed ego scilicet quiesco, & dum somnus illabatur, expecto. Ille sanè pruinâ vexatus sub Dio nocturno rore perfunditur; at si è strato consurrexero, pulvinar interim deserendum, & pedum plantis fortè etiam pulvis adhærebit: *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Si has voces, inquam, Anima proferre audeat, digna profectò est, cujus corpus vulneribus concidatur, & omni ornatu spolietur. *Invenerunt me Custodes, percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi.* Adeò scilicet verum est, præteritos ardores non solùm Tepidis non suffragari, ut etiam magnopere obsit, novis identidem flammis eos exaggerare negligētibus. Quocirca satis non est, quòd Mentis nostræ Arbor sub illud tempus, quo rebus humanis valedíximus, & Crucem amplexi fuimus, uberes fructus tulerit, nisi eosdem semper nunquam imminutâ fertilitate produxerit, clamante Matthæo: *Omnis Arbor, quæ* NON FACIT *fructum bonum, exci-*

detur. Ut adeò necesse sit, Patres mei, siquidem procul à radicibus Arborum nostrarum avertere securim, nósque ipsos in eo solo, in quo consiti à Deo fuimus, stabiles conservare volumus, eâdem ubertatis constantiâ quocunque tempore aurea poma proferamus, quâ fontes inundare campos, fœcundísque complere seminibus perseverant; secùs qui faxit, & frugem ferre desierit, nil jam præter ictum & securim expectabit. *Omnis Arbor, quæ* NON FACIT *fructum bonum*, EXCIDETUR.

7. Atque ego quidem tam inexorabilis severitatis eam esse causam existimo, quòd quàmprimùm Animus noster à studio Sanctitatis remiserit, non eo loco ubi sistit, persistat, verùm tam longè recedat, ut quo tempore in altissimum Sinai Montis verticem jamjam evasurus, altérque quidam Moyses præsentem Deum allocuturus videbatur, tam procul inde recedat, ut parum absit, quin funestos Chaldeæ montes contingat, & veluti novus Balaam appareat, qui è profanis Moabitarum scopulis Diras in Electi Populi Castra

ſtra ritu imbris effundat. Idem nimirum qui ſe ſe perficiendi curam remittit, quod Nauclero grandem Onerariam ab Oceani littore verſùs Euphratis in mare ruentis fauces impellit, accidere ſolet. Donec ille velis remíſque Babylonem verſùs iter urget, remigum induſtriæ Viribúſque everberatæ procellæ, irruentíſque fluminis impetus cedit. Quàmprimùm verò aut vela dimittuntur, aut inhibentur remi, continuò Navis tanto impetu retroagitur, ut vel in brevia impingat, vel in littus ejectum ſolvatur. Idem prorſus accidere unicuique noſtrûm exiſtimate. Simul enim de contentione profectûs noſtri remiſerimus, in ſcopulos, & labes nunquam antè à nobis cognitas incurremus, & fortè ab ipſo portu Perfectionis Religioſæ, quem pœnè ſubijmus, in ſeculi vortices retracti famæ naufragium faciemus, Vitiorum omnium præda futuri. Audiamus Hieronymum. *Quomodò*, inquit, *qui adverſo flumine lembum trahit, ſi remiſerit manus, ſtatim retrolabitur, & fluentibus aquis ducitur, quò non vult: ſic humana conditio, ſi* *Lib.3. adv. Pelag.To.17. 295.*

 pau-

paululùm ſe remiſerit, DISCIT FRAGILITATEM SUAM. Quid verò ultima hæc S. Doctoris verba ſibi velint, quibus ſententiam abſolvit, & veluti fulgure legentes percellit, ſibi quiſque interpres eſto: Ego enim ut id exponam, pudore prohibeor. Id ſolùm ijs, qui ardores ſuos ipſi reſtingvunt, non ſine ingenti corporis horrore inculco repetóque: *Humana conditio, ſi paululùm ſe remiſerit*, DISCIT FRAGILITATEM SUAM. Tres iſtæ poſtremæ voces non abſimiles ſunt tribus illis Lanceis, quas in Abſalomi è quercu pendentis pectus Joabus adegit: quibus qui non movetur, ſaxum is pro corde gerat oportet, adeóque tepor illum reddidit ſtupidum, ut præſentem mortem, dehiſcentes ſub pedibus ſuis voragines Inferis licèt conterminas non expaveſcat. DISCIT FRAGILITATEM SUAM.

8. Id ipſum ſcilicet penitus intelligemus, ſi, ut Spiritum, quem funeſtum Hieronymi omen intercluſerat, recipiamus, Plinium ſequamur Romam in Campum Martium nos deducentem. Querebant-

ba-

batur Senator amplissimus apud Batavos speluncas strui, in quibus muliebris cultûs mollitie tam subtilia vela texerentur, ut aranearũ telis levitate certarent, & pœnè aëri moverent invidiam. *Telas Arancarum texunt, quæ bombycina appellantur*, UT DENUDET FEMINAS VESTIS. Hæc cùm diceret Vir antiqui moris, suámque sententiam gravissimis quibusque Civium, quos Roma Orbis domitrix habebat, approbaret, confirmarétque, textilibús ijs spumis Romanas Matronas dehonestari, obvium habuit nobilissimorum Juvenum globum, qui texto in Oriente serico sæviente caniculâ, vestiri consveverat. Dici non potest quantâ indignatione gravissimus Senex commotus sit, cùm videret per ejusmodi corruptelam tam fœdè Latinum robur evirari. Amens igitur iracundiâ, Nos igitur, exclamat, Nos, qui olim vel pacis in otio casside ac loricâ tecti procedebamus in publicum, repentè in feminas versi duritiem pondúsque chalybis Bæticæ lanæ mollitiâ permutavimus, neque has quoque sat leves arbitrati à

Lib. 11. Nat. Hist. c. 22. To. 9. 159.

Phrygia rosa bombycina petimus: quinimò, ceu tenuissimæ Orientis telæ graves ferro plumbóque laminæ forent, è Septentrionalibus specubus pellucida lina quibus tegamur, refodimus. *Telas Aranearum texunt: nec puduit has vestes usurpare etiam viros, levitatem propter æstivam.* IN TANTUM A LORICA GERENDA DISCESSERE MORES, UT ONERI SINT ETIAM VESTES. Quàm vereor, ut tam acerba Satyra unum alterúmve nostrorum hominum nonnullâ sui parte perstringat! Ut enim nihil dicam de laboriosissimæ vitæ genere, quam Primi decem Societatis Patres in difficillimis itineribus, in Xenodochiis inter ægrorum fastidia, in cultura populorum horridas rupes, & perpetuis obsitas nivibus Alpes, vel deserta & pestilenti aurâ infecta littora colentium, in victûs ejúsque tenuissimi & ostiatim emēdicati, in vestitûs tum asperi, tum obsoleti ratione, in tradendis per fora & plateas rusticanæ plebi, ac rudi ætatulæ Religionis Christianæ Capitibus, in perpetua ex una

Lib. 11. Nat. Hist. c. 23.

una in aliam Urbem, ab uno ad alium polum peregrinatione, regionúmque prono Sole calentium cum adstrictis glacie terris commutatione, in tanto demum dura quæque perferendi studio Primi Societatis Patres tenuerunt, ut tum denique vivere se ac triumphare crederent, cùm Christi causâ mortem obirent; eámque omni morte infeliciorem vitam arbitrarentur, quam per cruciatus profundere non liceret. Prætereo Manresæ specum carissimam S. Parenti nostro sedem, itinera in Palæstinam ab eo suscepta, continuatos inediâ dies, nihil præter panem & frigidam admittente; ferreas catenas, quibus renes adstringere, flagra quibus quotidie, ídque trinâ, & aliquando quinâ diverberatione nudum corpus cruentare consveverat, taceo; quinque de diebus singulis horas detractas, & precibus impensas; litteras consanguineorum suorum, sic ùt erant, obseratas nec inspectas flammis traditas. Nihil de plerorumque Patrum nostrorum, qui primos illos longo intervallo secuti sunt, Paupertate,

Pietate, ſui affligandi, atque infra omnes abijciendi, alienæ ſalutis, promptæque ad omnia voluntatis præclaris ſtudijs dico. Id ſolùm reputare vos cum animis veſtris jubeo, quàm abſurda & indigna res foret, ſi Nos tot ſanctiſſimorum Virorum Poſteri tam vili patriæ, Domiciliorúmque in quibus verſamur ſtudio teneremur, ut aliquis, niſi cum ingenti difficultate, refigi ſe, & in aliam transferri Provinciam non pateretur, ſeu, quod quidem incredibile videtur, in eodem Collegio ex uno in aliud Conclavi, cùm res ita poſtulaverit, demigrare aliter haud poſſet, quin mœrore propemodum inſanabili acceptum vulnus palàm teſtaretur. Si qui minimè omnium eruditionis laude ac facultate inſignes ſunt, impatientes ferrent eos ſibi præferri, à quibus doctrinæ, generíſque nobilitate quàm longiſſimè abſunt: ſi dignum Abrahamo facinus, & parem illi ſacrificio victimam à ſe dari exiſtimaret, cùm ab Obedientia invitatus, noctem unam pervigil ad moribundi cujuſpiam grabatum, propriâ neglectâ quiete, aſſedit;

dit; vel communis cujuſpiam relaxationis exſors ſua commiſſa fatentium gemitus excepit, lachrimas abſterſit, vel ſolitæ refectionis tempus deducendo ad Sacraria Martyrum agmini ſupplicantium impendit, vel denique librum aliquem jam diu apud ſe otioſum ac ſupervacaneum alteri, cui is magnopere neceſſarius eſt, commodavit. Et licèt hæc probra in pauciſſimos cadant, cùm infinitus ſit eorum numerus, qui primævam auſteritatem mordicus ac conſtantiſſimè retinent: cogunt nos tamen vel pauculi illi non ſine totius vultûs confuſione fateri: *In tantum à Lorica gerenda* DISCESSISSE MORES, UT ONERI SINT ETIAM VESTES. Sed quid ego cum illis, qui ætate, Virtutéque nos anteceſſerunt, mores noſtros compono? Nos ipſi, Nos inquam, tam diverſi aliquando à Nobis ſumus, quàm ab Occaſu Ortus diſtat. Ecquis eſt noſtrûm, qui ſub ea tempora, quibus recens in Religioſæ Diſciplinæ Schola, quam in Calvario nobis Chriſtus aperuit, ſe contulerat, non expalluit, ſi fortè

fortè Patritio genere, & ad ſumma Societatis noſtræ munia natus diceretur ? Jam verò reperire forſan aliquem erit, quem natalium ſuorum obſcuritas offendat, pudeátq; quòd in purpura editus non fuerit, & fortè de ſtirpis ſuæ humilibus ramuſculis fabuloſa inſignia, Teſſeras adulterinas, & mendaces coronas ſuſpendit. Nos, qui Tiaras ſedéſque Pontificum vitaturos jurejurando promiſimus, niſi Numinis Vicarius diſerto imperio ceu ferreo clavo nos ijs confixerit, nunquid non Orbis ludibrium futuri ſumus, ſi quando Academiarum noſtrarum cathedras ambiremus? Nos, qui tot votis expetebamus, ne quis eſſet in Provincijs noſtris aut tam obſcurus, aut tam negligens ſui, cui victûs, veſtitûs, habitationis incommodis, vel paupertate cederemus; poterimúſne jam delicias non averſari, aut etiam queri poterimus, ſi fortè diem unum malè paſti, qualemcunque occaſionem diurnum aliquod incommodum miniſtrârit per tritas ab Apoſtolis ſemitas progrediendi ? Heu, heu! *Tantum à Lorica gerenda* DISCESSERE

SERE MORES, *ut oneri ſint etiam veſtes!* Repulsâ, quam patimur, licèt ſexcentis promiſſionibus temperatâ perturbamur, qui quondam eo ſolùm conſilio noſtra vota promebamus, ut caſtigarentur, ac fruſtrarentur. Quælibet ſuſpicio, ne fortè ab ijs, quos Patrum loco habere debemus, com̃oneamur, aut reprehendamur, quietem nobis excutit, quibus olim acerbiſſimæ objurgationes, longè jucundiſſimæ ſolebant accidere; eáſque ſolùm non probabamus, quòd vel aculeatæ ſatìs non eſſent, vel domeſticorum parietum anguſtijs pudoris noſtri cauſâ concluderentur, nec proferrentur in publicum. Videtis, quò evadant, & in quantum Religioſæ Diſciplinæ horrorem præcèps ruant, qui à Chriſti Cruce vel tantillum ſe abduci patiuntur? *Vt oneri ſint* ETIAM VESTES.

9. Sed enim tantum abeſt, ut hæ Plinij criminationes ac maledicta me moverent, ut ſtimulos ab ea manu, quæ mutis ſtatuis Thus adolebat, adactos, & ore illo, quod flagitioſiſſimis hominibus Divinitati conſecratis vota fundebat, prolatam

tam Satyram risu exploderem; nisi me Jeremias terreret, qui Divino afflatus Spiritu palàm edixit, Lac in picem, in sordidam Cretam Ebur, Amethystos in fragile vitrum, nivis candorem in atros carbones commutari, si quando res ejuscemodi pretium nobilitatémque suam nō accuratissimâ diligentiâ conservârint. *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Sapphiro pulchriores. Denigrata est* SUPER CARBONES *facies eorum, & non sunt cogniti in plateis.* Fuit olim, fuit tempus, cùm Aloysius Gonzaga integerrimus sanctissimúsque Juvenis itinera obsideret, per quæ profecturos Scholasticos nostros cognoverat, eâ mente, ut ex eorum modestia singulari beatæ vitæ formam, & inchoatæ quoddammodò æternæ felicitatis imaginem in animo suo describeret. Fuit, cùm, simul atque aliquis hominibus nostris se junxisset, simul prioris vitæ maculas cruentis lachrimis eluere properabat. Fuit, cùm filios suos parentes à Templis nostris arcerent, veriti, ne, quod accidere plerisque videbant,

Thren. 4. 7.

bant, Apostolicis Oratorum nostrorum sermonibus persuasi, rebus humanis valere jussis è seculo in Cœnobia, & è Principum Aulis in Carthusianorum Cellas irrevocabili transfugio sese proriperent. Utrùm verò hac tempestate omnes sint ejusmodi, ut sensum pietatis spectatoribus ingenerent, familiares suos ad virtutem accendant, Auditoribus, ad quos in publico verba faciunt, alas aptent, quibus se ad summa sacrorum Montium fastigia subvehant, numerus docebit eorum, quos Vitiorum ereptos Tyrannidi consecravimus Pietati. Id certum S. Parentem nostrum eam ob causam nullo singulari vestis genere Sectatores suos à ceteris Sacerdotibus discrevisse, quòd persuasum haberet, fore, ut morum sermonísque gravitas ab ijs nos distingueret, qui pari nobiscum, communi videlicet Clericis, cultu, earundémque litterarum professione censentur. Id nimirum ille sibi de nobis promisit, & verò evenire videbat, ea, quâ vivebat, ætate, hodiéque idem accidit, an verò in omnibus, id scilicet est, quod igno-

ignorare me fateor: dubito enim annon incuria vel curiositas aliqua nostrûm quēpiam Jeremiæ lachrimis objurgationéq; dignum faciat, sic ut de paucis quidem, sed tamen de uno vel altero dici non sine lachrimis queat: *Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis.*

10. Ictus hoc fulmine Gregorius Nazianzenus abjecto in humum vultu, luctúque incredibili oppressus, interruptâ singultibus voce, lachrimísque in verba fluentibus exclamat: Cave, quisquis es, inquit, ne tibi somnum subrepere patiaris, ne somnum morti conjungas. Quàmprimùm enim divino amore ardere desieris, calor omnis pietatis, studiúmque Virtutis adeò refrigescet, ut non modò te nulla jam vitij cujuspiam, aut rei non omnibus numeris absolutæ umbra conterreat, verùm ut licentiæ Opium plenis calicibus non aliter haurias, quàm si promissæ à Deo innocenti Adamo felicitatis flos quidam atque prægustus foret. *Demus operam*, verba sunt Nazianzeni, *ne torpescamus ad bonum: spiritu* FERVEAMUS, NE

ALIO-

ALIOQUI PAULATIM OBDORMIAMUS IN MORTEM. En, quàm non verè minùs, quàm ad terrorem incutiendum accommodatè dictum illud ab Hieronymo fuerit, cùm segnes Naucleros meminisse jussit, ad fluviorũ ostia naves rapiendas esse, quàmprimùm ipsi oppositos fluctus everberare remis, & Clavo contísque in adversum niti destitissent. Certè si Nazianzeno credimus, quodlibet languoris, socordiæque principium humanos Animos in interitum rapit. *Spiritu fervemus, ne paulatim obdormiamus in mortem.* Nemo vestrûm est, qui periculis tam certis, tam manifestis non præsidium hoc loco imploret. Liberabo itaque fidem meam, quam vobis ipso dicendi principio obligavi, & primùm quidem ijs, qui consvetis Societatis nostræ exercitationibus comprobati, nuncupatísque subinde Votis Cruci consecrati per humanæ litteraturæ pelagus ingredi cœperunt, auxiliarem manum porrigo. Vos itaque, si, quam vobis Virtutem peperistis, salvam vobis atq; incolumem esse vultis, auditum tanquam

Orat. de mod. serv. To. 59. 146.

Animi tutiſſimum propugnaculum præcipuâ curâ defendite. Idipſum eſt, quod Philo nos docet, nunquam perſuadere ſibi paſſus, ut Abelis innocentiſſimi adoleſcentis à barbaro fratre interfecti miſerrimum fatum ullâ miſeratione proſequeretur. Hoc habet, inquit, meritóque habet, quem Caini ſermo ad inſolentes excurſus, periculoſámque à paterno Tentorio longinquitatem invitantis non terruit. Quàmprimùm enim audivit ijs ſe verbis compellari: *Egrediamur foras*: vel, ùt legunt Septuaginta Interpretes, *Tranſeamus in campum*; debuerat vel ipſo ſolitudinis, & latè patentium camporum nomine perturbari, peſſimum Hortatorem repellere, nedum ejus ſive averſioni à domeſtici Viridarij ſeptis, ſeu curioſitati, & regiones ignotas homini ſub poteſtate patria etiamnum conſtituto parum tutas viſendi ſtudio tam promptè obſequi. Abijt, obijt. *Noſter Abel debuerat recuſare in campum deſcendere, & provocationem contemnere inimici.* TERGIVERSARI ENIM PRÆSTAT, QUAM VINCI. Audian-

Lib. quod deter. potior. inſid: To. 107. 93.

diantur ſanè, monet eruditus Interpres, qui nobis loquuntur,& conſilia ſuggerunt. Verumenimverò ſi hoc illi agunt, ut à Rectorum noſtrorũ ductu nos ſeducant, & in apertos nullíſque munimentis incluſos campos abſtrahant, hoſtium loco habeantur; repudientur vel fratrum conſilia, quæ novæ amœnitatis ſpeciem nobis depingunt, & ex anguſtiis caſtigatæ vitæ, velut ex inviſis carceribus, ut erumpamus,hortantur. *Noſter Abel* DEBUERAT RECUSARE IN CAMPUM *deſcendere.* At enim quidquid Philo ſentiat, Abel per egreſſum illum vitam quidem,non verò vitæ Sanctitatem amiſerat: Sed nos ſcilicet Virtutis, & fortè cum Vocatione periculum quoque ſalutis adibimus, ſi non modò licentiæ à religioſis hominibus alienæ hortatores non rejecerimus, verùm etiam tanquam Duces ad honeſtas,& nullâ vetitas lege delicias, atque ad Moderationem non alienam ab eo, qui animum ſuum Cruci Chriſti confixit, viam commonſtrantes fuerimus proſecuti.

11. Atque ità Hebræus Scriptor ſen-

ſit. At multò ſeverior extitit alius, qui tamen longè inferiorem de Deo Mundi hujus Architecto, rebúſque æternis ac cœleſtibus cognitionẽ habuit. Satìs enim Philoni faciebat, qui licèt ad aures prava conſilia admiſiſſet, ab animo tamen excluderet. Id verò Senecæ ſatìs non fuit, quòd Philoſophiæ, hoc eſt, rectæ rationis, Theſaurum tam anxiâ curâ ſervandum diceret, ut mendacij lenocinijs penitus obſurdeſcere Virtutis ſtudioſum juberet. Neque verò nullam hujus ſui conſilij, quo aurem Adulatoribus occludendam judicat, cauſam affert. Licèt enim verborum ſonus perexiguo tempore in aure duret, at non perinde tenuis eſt mora, quam in animo Virtutẽ oppugnantiũ illarũ ſententiarum ſtrepitus trahit. DIUTIUS SERMO HÆRET, *quàm auditur.* Audietis fortè degenerem quempiã ignavúmq; Sodalem ità diſſerentem: Quiſquis in Ordine religioſo cadaveris inſtar vivit, & Præſidum arbitrio penitus ſe volvendum revolvendúmque permiſit; jacebit is ſemper vel inſepultus in arena, quin unquam ad

Ep. 124. To. 9. 77.

ul-

ullum honeſtum munus aſſurgat, vel ignobili tumulo conditus, nullius unquam aſpectu dignandus, omnium pedibus proteretur. Equidem ubi primùm audiri cœpit hic Aphoriſmus Chriſtianæ Modeſtiæ tantopere adverſus, nemo eſt eorum, qui nuper ultimum locum inter Pœnitentiæ aſſeclas ſibi depoſcebat, quin tam peſtilentem doctrinam non averſetur: ſubinde autem, cùm eam iterum iterúmque Animus ſecum retractat, tantas vires exerit, ut inviſam demiſſionem, motúmque jam olim mortuis reddat. Quo fit, ut qui paulò antè, quocunque loco à Præſide depoſitus eſſet, immotus jacebat, nec ſoli duritiem, nec anguli anguſtias, nec obſcuritatem ſitúmque querebatur, movere paulatim ſeſe, mutare locum, aſſurgere, ſuíſque ingredi pedibus incipiat. Quod ego de tertio Voto, qui præcipuus Societatis noſtræ Theſaurus eſt, dixi, vos porrò de geminis alijs ſubjungite, quorum videlicet palmas nobis extorquent ſermones eorum, qui Pudoris Angelici vel parum memores, vel Apoſtolicæ Pauperta-

tis haud satìs tenaces esse videntur. Super his quoque Virtutibus mussant interdum aliqui, esse quidem nos Religiosos, non Anachoretas tamen, quibus nudi pedes, & è texto vimine pallium sit. Ajunt, purissimo candori non officere vel aspectûs urbanitas, vel familiarior quæpiam consuetudo. His atque similibus personatorum Serpentum sibilis excantati secundi Adami Filij in Evæ liberos se convertunt, & incautæ Matris exemplo vetitæ Arboris Ramos inflectunt, ac fructus specie quidem amœnos visúque jucundos, sed lethali succo infectos decerpunt. Eam ob rem Stoicus ad ipsas Arborum radices consistens totâ contentione vocis exclamat. Procul hinc, qui venenum timet, latet hìc anguis: quisquis non Aspidis in morem malignis invitantium sibilis obsurdescit, non tam hic prædam capiet voluptatis, quàm ipse iniquitatis erit præda.

Ibid. IDEO CLAUDENDÆ SUNT AURES MALIS VOCIBUS, *& quidem* PRIMIS. *Nam, cùm initium fecerunt, admissæq; sunt*, PLUS AUDENT. *Inde*

ad

ad hæc pervenitur verba. VIRTUS ET PHILOSOPHIA VERBORUM INANIUM CREPITUS EST. Atque utinam minùs vera esset conclusio Senecæ. Quodsi autem fas esset, ei, qui Domorum nostrarum Sanctitati non à præsentibus tantùm malis, sed à futuris quoque cavere cupit, eo dicendi genere hoc loco uti, quod in eos Cœtus magis conveniret, qui nihil veteris Disciplinæ retinent; imperare mihi non possem, quin eo solùm ex capite, quòd accipi omninò ejusmodi clades potest, ità differerem, ut quàm procul à desidis vitæ otio refugiendum, quámque plena periculi res sit, non flagrantissimo Virtutis studio teneri, universi cognoscerent. Eò impudentiæ devenitur, ut non jam per ambages, sed palàm ac disertè Superstitionis nomine Circumspectio appelletur, fervor furor, Virtus morositas, Pœnitentia Desperatio, Divinus Amor Misanthropia, terriculamenta puerorum levium noxarum fuga; demum ignavæ mentis abjectio dicatur omnis ea veneratio, quâ honestissima

Crucis opprobria prosequimur. *Virtus & Philosophia inanium verborum crepitus est.* Quodsi omnes effata tam pestifera pro merito detestamur, omni etiam studio cavendum nobis, ne Discipulos ijs Auditorésque præbeamus, alioquin eorum Interpretes ac Doctores paulò pòst futuri. *Ideò claudendæ sunt aures malis vocibus*, ET QUIDEM PRIMIS. Quanto autem pudore suffunderer, si deesset mihi sacros inter Scriptores, qui tanto Stoicum efficacitate remedij vinceret, quanto ille Moysis quendam Discipulum Antidoti virtute superavit. Et Philo quidem prava loquentibus aurem ut accommodes finit, ut animum, non finit. Seneca verò, ut ne audias quidem, patitur: Ephræm denique, ut Sycophantas ejusmodi, qui Virtutem oppugnare audent, licèt fucum tibi non fecerint, humi affligas, & spiritum intercludas, magnis vocibus imperat. *Imitare*, inquit, *David*, ET UNO JACTU LAPIDIS PROSTERNE ADVERSARIUM. Et certè Davidem nunquam eò dementiæ oratio Gigantis adduxe-

Ser. de Consumm. hujus Seculi. To. 30. 35.

duxerat, ut ejurato Numine inanium Deorum ſtatuas veneraretur. At neque id omnino, ut Juveni perſuaderet, laborârat Goliathus, neque arcanos cum eo ſuper hac re ſermones miſcuerat. Adoratores Arcæ criminari, & Immortalis Dei Exercitibus auſus eſt inſultare. *Clamabat adversùm phalangas Iſrael.* Atque hoc ſatìs *1. Reg. 17.8.*
Davidi fuit, ut fundam rotaret, lapidem excuteret, irriſoris frontem feriret, humi pervicacem affligeret, proprióque ipſius gladio caput à cervice revelleret. Hoc Davidis exemplum imitari univerſos Ephræm jubet, qui fortè animadverterent, eſſe in ſacris Cœtibus Incircumciſum aliquem, qui pravis conſilijs Religionem oppugnare, & Tabernaculi Defenſoribus oblatrare non dubitet. In horum frontem, ſi quidem habent ullam, limpidiſſimum ſilicem egregius tuendæ Sanctitatis ardor infigat, horum capita ſeu publicæ objurgationis, ſeu arcani indicii ferro demetat: eâ videlicet mente, ut Cohortes ceteræ, quæ Chriſto Imperatore gloriantur, pro Religione magnis animis pugnent, Infe-

rósque debellent. Nam qui cùmprimùm Religiosæ Disciplinæ contrarias dici sententias audierit, non exclamat: QUIS
1. Reg. 17. 26. EST HIC PHILISTHÆUS INCIRCUMCISUS, *qui exprobravit acies Dei viventis? ego vadam, & pugnabo adversùs Philisthæum:* non is aut David, aut Vates, aut Abrahami, Christíque Filius est. Et quoniam absterrendis maledicis, prosternendis perturbatoribus verba non sufficiunt, magnanimis dictis non inferiora facta jungenda sunt: ut idem aptari nobis possit, quod de Davide sacer Scriptor testatur. *Tulit lapidem*, ET FUNDA JECIT, *& percussit Philisthæum in fronte.* Quod nisi præstaremus, nullam Israëlis Tentoria quietem sibi promittere possent unquam, neque Ephræmi dictis audientes essemus, qui nostris etiam in Collegijs Classicum canit, nostrúmque singulis atque universis edicit, ut, si quis fortè inter innumerabiles, qui pro Tabernaculi custodia diu noctúque armati excubant, si esset, inquam, vel unus, qui pravis persuasionibus Disciplinæ vigorem infringere, sensúm-

que omnium pervigilem custodiam laxare tentaret, eum nos opprimamus, suóque in sanguine volutemus. In eum ruborem publicis reprehensionibus, inflictísque supplicijs detur Goliathus ejusmodi, ut porrò non audeat vel caput erigere, vel vocem mittere, unde proborum Virtus detrimentum ullum pati possit. *Imitare Davidem, & uno jactu lapidis* PROSTERNE ADVERSARIUM.

12. Atque hic agendi modus tenendus est Scholasticis nostris, ne conceptos Virtutis ardores restinguant. Illi verò, qui à primo, secundo, tertio semestri, quo se in hanc Domum contulerunt, ad perfectæ Vitæ decus aspirant, si voti sui damnari volent, singulari Virtutis amore inardescant, magnóque animo se ad ejus exercitationes accingant, oportet, non quòd Præsides in speculis sint, intentósque in progressum suum oculos habeant, sed quòd itá secum ipsi constituerint, pro se quisque sibi, licèt omnes, qui pro Christi Arcibus excubant, oppressi somno inobservatas actiones suas transmitterent, Dux

Re-

Rectórque futurus, & Legum nostrarum frœno cupiditatum propensionúmque suarum tumultus cohibiturus. Cúmque David ipso Psalmorum suorum exordio veros Dei Servos transitis Arboribus comparaverit, *Et erit*, inquiens, *tanquam*
Psal. 12. *lignum quod plantatum est*, seu ùt legunt multi, *quod transplantatum est secus decursus aquarum*: necesse est, ut is, qui tantæ felicitatis amore, qualis nimirum est, è sterilibus seculi arenis in sacrorum Ordinum terras melle lactéque fluentes traduci, Sanctitatem sibi præstituit, id exequatur, quod hortorum nostrorum stirpibus evenire deprehendit. Arbor omnis vel in domesticis seminarijs sylvestris nascitur. Huic verò natalium infelicitati Olitoris industria frugiferarum Arborum insitione medetur. Et surculus quidem, quem inoculant, adeò tenuis est, ut oculorum pœnè aciem effugiat. Eum tamen tantâ benevolentiâ Truncus amplectitur, tantáque sedulitate fovet ac nutrit, ut in ejus naturam totum se quodammodo convertat. Parùm dixi. Quippè, quod animadverten-

tendum præcipuè est nobis, tametsi Cerasus aut Pyrus, è quibus insitius ille surculus avulsus est, exaruerit, aut à flammis consumptus sit, non ideò tamen receptus & civitate quodammodo donatus Truncus producere fructus cessat: sed neque si mortem obeat, qui adscititio ramo fœcunditatis ipsi munus contulit, folium ullum aut frondem amittit, eundémque virorem ac vigorem seu Arbore in cineres redactâ, seu Cultore è vivis sublato, conservat, & vel cerasa vel pyra producit. En vobis, religiosæ Sanctitatis Tyrones, legitimam formam, ad quam vitæ vestræ rationes exigatis. Evangelica Ductorum vestrorum monita reverenter excipite. Ea subinde tam arcto complexu pectoribus vestris adstringite, ut licèt ille, à quo rectè vivendi præcepta didicistis, contraria dictis facta repræsentaret, penitúsque à Virtute non ille solùm, verùm etiam, quod quidem fieri nequit, omnis ille sacer Ordo, cui vos consecrâstis, deficeret, & ex Apostolicorum hominum Societate in Academicorum pietate carentium & otioso-

rum,

rum, sibíque, neglectâ omni salutis alienæ curâ, vacantium Virorum Cœtum abiret, vos tamen nihilo seciùs integritate morum florere, ac eodem semper ardore mentis fulgere possitis. Id certè in Sichare Oppido videre licuit, cujus Cives cùm è Samaritana Messiæ in fines suos adventũ edocti fuissent, Servatori honoris causâ obviam egressi adeò divinissimo ejus aspectu ac sermone capti sunt, ut Mulieri palàm planéque confirmarent, coli adoraríque à se humanati Verbi Divinitatem, non quidem, quòd ejus rei testem auctorémque ipsam haberent, sed quòd, comprobatâ oculis suis veritate, spontè Reparatorem Animorum Orbísque Magistrum, quacunque ire juberet, prosequi cum animis suis statuissent. Joan. 4. 41. *Multò plures crediderunt in eum propter sermonem ejus. Et mulieri dicebant, quia jam* NON PROPTER TUAM LOQUELAM CREDIMUS: IPSI ENIM *audivimus*, *&* SCIMUS, *quia hic est verè Salvator Mundi.* Atque hoc est, succo suo vivere, & Davidicæ Turri, è qua subinde mille Clypeos suspen-

pendamus, adversùs omnes impetus seu pravorum exemplorum, seu consiliorum non optimorum præsidium futuros, solida fundamenta præstruere. Cupio sanè ut Magistrorum nostrorum dicta velut Oracula excipiamus; at volo pariter, ut secundùm eam religiosarum præceptionum auscultationem ipsi Nos ad scandendum Horebi verticem urgeamus, præsentem Deum coràm allocuturi, & ex ardentis Rubi flammis ea monita capturi, quibus ad flagellandam Ægyptum, submergendúmque Pharaonem accendamur.

13. Possúmne autem plus justo à Dei filijs exigere videri, cùm id ab eis requiro, quod stupidissima Philisthæorum armenta præstiterunt? simul ac afflictissimarum Gentium Principes aurato in Curru Dei Arcam collocavêre, simul Boves nullis neque Aurigarum stimulis subactæ, neque manibus pertractæ rectum cursum ad eum locum intenderunt, cui Sacrarium illud, actâ de Prædatoribus suis prædâ spoliísque hostium nobile, Deus destinaverat, nihil seu vitulorum mugitus, seu riden-

dentium latè pratorum virorem moratæ. *Tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos,*
1. Reg. 6. 10. JUNXERUNT AD PLAUSTRUM. Equidem, dum Idolorum Cultores currum ornarent, depositóque in eo supremi Numinis Throno dedicarent, immotæ in eodem vestigio constiterant: vix autem machinæ puppim Arca occupaverat, cùm iter ingressæ haud segniùs quàm quatuor illa Ezechielis animalia sacrum Onus ad Bethsamitarum usque confinia deportârunt. *Posuerunt Arcam Dei super plaustrum.* IBANT AUTEM IN DIRECTUM VACCÆ *per viam, quæ ducit Bethsames, & itinere uno gradiebantur pergentes & mugientes:* ET NON DECLINABANT *neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Sic agat, quisquis recèns in Dei servitutem transcriptus est, si quidem in dedicatis illi sedibus aliam à priore induere formam cupit, seséque in Virtutis exemplar, & in Cherubinum convertere amat, qui olim divini Verbi gladio armatus Paradisi nostri delicias defendat. E Ducis sui manibus arma quibus pugnet, accipiat: & continuò

nuò in arenam prosiliat, suóque Marte ad Sanctitatis metas procurrat. Festinet; sed stimulo non adactus: non exorbitet, neque ab ea, quam ingressus est, semita iter detorqueat, licèt fortè natura reluctetur, & remugiant cupiditates. Eat, quà ire cœpit; sed trahentis manum non requirat. Verbo, traditarum sibi præceptionum ipse sibi Magister fiat, neque aliam suæ in Terram sanctam profectionis caussam habeat, præter Arcam Testamenti fidei suæ commissam. *Posuerunt* ARCAM *Dei super plaustrum:* IBANT *autem in directum Vaccæ.*

14. Ne verò tam abjectis vocibus, symbolísque à præsepio mutuatis Orationi finem imponamus, ex Ethnicorum stabulis ad Templi cortinam transgressi, sacri Thymiamatis fragrantiâ illorum graveolentiam emendemus. Spectandum illic se nobis offert Samuel etiamnum puer in Altaris obsequio, & proposito sanctitatis, quæ dignum Tabernaculi ministrum deceret, tam firmus & constans, ut licèt passim in oculos incurrerent nefaria flagi-

tia, quibus tota Pontificis Aula inquinabatur, & vel maximè præcipuorum duorum Synagogæ Sacerdotum Ophni ac Phinees palàm Hostias contaminantium, & alienam pudicitiam expugnantium indignis facinoribus, totóque Cœlo ab omni Ecclesiastica Domo remotis, diu noctúque obsideretur, adeò purum intaminatúmque se, tantámque sacræ Disciplinæ observantiam conservârit, quàm si ad eum diem cœlesti in regia inter Angelos versatus fuisset, illíque templo non exauctorati Pontificis impij Filij, sed Moyses Aarónque moderarentur. *Erat ergo*
1. Reg. 2. 17. *peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines à Sacrificio Domini.* Quæ licèt ità se haberent, subjungit tamen divinus Scriptor: SAMUEL AUTEM MINISTRABAT ANTE FACIEM DOMINI, *puer accinctus Ephod lineo.* Itaque, cùm talia ac tam fœda flagitia, quæ vel profanis in lustris ignorabantur, in consecratis Divinæ Majestati sedibus perpetrarentur, inventus est puer, qui, quamvis esset infirmâ æta-

ce, non solùm à virtute latum unguem dimotus non est, verùm eam confirmavit etiam, atque miris incrementis exaggeravit. Non se ab ea domo, quam publicæ rapinæ, clandestinæque libidines infamârant, proripuit: non ità secum ratiocinatus est. Equidem longè majori religione, majoríque Virtutis quæstu in Patris mei ædibus sub Matris meæ ductu, inter sacrorum Vatum Oracula & Cantica, quàm hoc loco, tot obversantibus undique atrocissimorum scelerum, & perpetuorum sacrilegiorum funestis imaginibus cum nulla vel certè perexigua Sanctitatis adipiscendæ spe vitam exegissem. Satius proinde fuerit, ut ex hoc loco, non jam Dei Sacrario, sed publica scelerum omnium Palæstra, in qua tantò fœdiùs peccatur, quantò in ipso Arcæ conspectu, intérque sacri Thuris odores impudentiùs flagitia fiunt, me quantocyùs eò, unde veni, recipiam. At nihil horum intrepidus Adolescens cogitavit unquam, quin potiùs maternarum juxta præceptionum, & Sacerdotalium cærimoniarum unicè memor,

obſervánſque, totum ſe Aræ miniſterio impendit, parum ſolicitus, an ij, ad quos Victimarum cura ſpectabat, ritè, an ſecùs, ſua munera obirent. ERAT PECCATUM PUERORUM GRANDE: nihilo tamen minùs SAMUEL MINISTRABAT *ante faciem Domini*, *puer accinctus Ephod lineo.* Quæ verba expendens D. Gregorius, animadvertit, geminis, iíſque nobiliſſimis ornamentis inclaruiſſe pueri Samuelis innocentiam: ac primùm quidem, quòd in tanta Sodalium impudentíque licentia, ipſe velut puerilibus etiamnum faſcijs involutus adſtrictúſque, viſus ſit, & cùm Deum tam gravibus injurijs affici holocauſtíſque per ingens ſacrilegium fruſtrari videret, functiones interim ſuas provinciámque non intermiſerit. *Itaque Ephod lineo accinctus, & in conſpectu eſſe Domini perhibetur.* Subinde verò, id quod primis ardoribus noſtris in eodem ſemper Virtutis ſtudio ſponte noſtrâ perſeverandi maximam neceſſitatem imponit, quòd ſuos ipſe renes Levitico lino adſtringere ſemper conſveverit adoleſcens ſan-

Libr. 2. in 1. Reg. Tom. 25. 26.

ſanctiſſimus. PUER ACCINCTUS *Ephod lineo.* Perinde ac ſi diceret: Vincula illa, quibus, cùm primùm Deo conſecraretur, adſtrictus fuerit, tam chara ſibi eſſe, ut nunquam ea vel deponere, vel laxare velit dum vivat. Et verò tam grandis Animæ ſermone univerſos hujus Domûs alumnos, omnéſque Collegiorum noſtrorum Scholaſticos uti oportebit, ſi paria cum Sanctis illis Cœlitibus, quorum hodie trophæa recolimus, Sanctitatis referre præmia concupiſcunt. Quòd ſi deinde Juvenes noſtri, tum ij, qui Cruci ſe aliquantò priùs conſecrârunt, pravis conſilijs aures, tum, qui recèns in hanc militiam adſcripti ſunt, exemplis non optimis oculos occluſerint, utrique verò eam vitæ perfectionem conſequi ſtuduerint, quæ noſtræ Societatis hominibus tam facilis, & univerſis, qui ſe à Mundi contagione ſecreverunt, tam eſt neceſſaria, quondam & ipſi inter beatas cœleſtium Principum cohortes numerabuntur, quas adoramus, & ipſi quoque in gaudiorum & gloriæ partem venient, cùm eorum etiam hono-

ri Posteri nostri accinent: GAUDEAMUS *omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore* SANCTORUM OMNIUM. Ità voveo.

EXHORTATIO XXXVIII.

Pridie Nativitatis S. Joannis Baptistæ.

Replebitur Spiritu Sancto adhuc ex utero Matris suæ: & multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum.

Luc. 1.

VEteres solitariæ Vitæ Magistri omnibus, qui sub prima Religiosi Tyrocinij tempora non arderent, iners Senium, ætatémque universam otio marcentẽ, ac nullâ Virtutis excellentiâ insignem *omni-*

ominari consveverunt. Eam ipsam doctrinam confirmat, quòd in cœlesti Hierosolyma pretiosiora plateis fundamenta memorantur. Eam ob causam Christus non Arborum, paulatim scilicet diúque in fructibus suis proferendis laborantium, sed Lucis, se totam momento temporis locis omnibus simul ac orta est, diffundentis nomine nos appellat. Ità Paulus primo statim Conversionis suæ tempore Sanctus extitit. Ità Symbola Vitiorum Colossi Babylonici membra uno ictu perculsa videri desierunt. Ità Christianis pro lacte absynthium, manánsque è vulneribus Servatoris cruor propinatus est. Subinde quemadmodum flores primo erumpentes vere copiosos sub Autumnum fructus promittunt: ità nisi sacrorum Ordinum novitij Alumni

præclara Virtutũ Heroicarum facinora edant, nihil egregiè ab illis, cùm adoleverint, polliceri nobis possumus. In nostris verò Tyronibus eò minùs teporem desidiámque excusare possis, quò pluribus ad Virtutem stimulis, copiosioribus incitantur exemplis, quò mitior austeritatis ratio ijs adhibetur, & quædam quasi comparandæ Sanctitatis necessitas incumbit.

15. NOn possunt non omnib⁹, qui de Societate JESU sumus, non jucundissimi accidere plausus illi, quibus Joannem Baptistam Christi Prodromum verba facientem Palæstina excepit. Numerosissima non solùm, sed innumerabilis planéque incredibilis, nisi Religio fidem adstrueret, concio erat, quæ Viro illi mortalium omnium maximo frequentiam faciebat. Ad eum audiendum ex Urbibus atque provincijs totæ Gentes agminatim, magnorum instar exercituum,

con-

convolabant. *Tunc exibat ad eum*, inquit Matthæus OMNIS *Hierosolyma*, *&* O-MNIS *Iudæa*: *&* OMNIS *Regio circa Iordanem*, *& confitentes peccata sua baptizabantur ab eo in Iordane.* Matth. 3.1. Et verò non minor populorum veneratio, quàm Baptistæ dignitas fuit. Cùm enim omni esset virtutum genere clarissimus, universæ regionis illius animos oculósque in sese convertit, parémque Sanctitati suæ cultum promeritus est. Patriam, parentésque reliquerat, delicias vitæque humanæ commoda rejecerat, nemus Urbe, herbas epulis, cilicium veste mutaverat: feroces militum animos cicurârat, Pharisæos erudierat, Sacerdotes informârat, improbos homines correxerat, principes Viros liberis vocibus admonuerat; carcerem subinde, ac vincula tulit, vitámque pro pudicitia posuit, quódque hæc omnia longissimè superat, accedentem ad pedes suos Messiam, & Baptismum à se flagitantem vidit, & delatos sibi honores, Messiæque Gentísque Hebrææ Servatoris titulos inauditâ magnitudine animi aversa-

tus eſt. Et ad hoc quidem auctoritatis gloriæque faſtigium Joannes ſub ultimos ætatis ſuæ annos, ideò potiſſimùm evectus fuit, quia primis ſtatim Vitæ ſuæ temporibus, excuſſo peccati jugo, & cœleſti repletus Gratiâ in lucem prodijt, antè ſanctus, quàm natus. *Replebitur* SPIRITU Sancto ADHUC EX UTERO MATRIS SUÆ, *& multos filiorum Iſraël convertet ad Dominum Deum ipſorum.* Quòdſi ergò conſecrare Provincias, Gentéſque integras Religioni Sanctitatíque ſubiicere optamus, Joannem imitemur oportet, qui priùs Divino ſeSpiritu implevit, quàm materno ex utero progrederetur. Noſter erit, noſtróque arbitrio temperabitur Orbis Terrarum, ſi primo ſtatim Converſionis noſtræ tempore ità nos totos Deo tradiderimus, ut de quolibet noſtrûm illud quoque edi poſſit Oraculum. REPLEBITUR SPIRITU SANCTO *adhuc ex utero Matris ſuæ.* Atque ego quidem magnopere cuperem, ut hujus, quam dicebam, pleniſſimæ abſolutiſſimæq; Virtutis amore, & paribus Animorum ſtudijs

dijs præſens Oratio mea inflammaret Tyrones omnes Societatis noſtræ, cui perficiendæ Veterani omnes, qui ſingulari Dei beneficio in hac Domo verſamur, allaboramus. Ajo igitur de Sanctitate Novitiorum Chriſti Servorum conclamatum eſſe, niſi altiſſima Virtutis fundamenta primis ſtatim Probationis menſibus jecerint: Illis verò, quibus ſub ipſum biennij exordium egregio ardore pectus incaluerit, eos in Virtute progreſſus, mirandáque prorſus incrementa Sanctitatis auguror, quæ ſatìs ſint ad non pauciores populos, quàm Joannes pietati redonaverit, ad frugem reducendos. Et verò prædictioni reſpondebit eventus, ſi hinc quidem, qui recèns hoc vivendi genus auſpicati ſunt, luculenter arſerint, illinc verò Veterani milites, qui jam aliquouſque progreſſi ſunt, odoratam Religioſorum Exemplorum materiam illorum flammis miniſtrare ſtuduerint. Et hoc quidem in poſtrema meæ allocutionis parte paucis indicabo; nunc verò id agam, ut nuper admiſſis ſeveram illam legem exponam, quâ jubentur in

ipſo

ipſo religioſæ vitæ limine ſeipſos perfectos, numeríſque omnibus abſolutos præſtare, cùm ſanctum in ſenectute futurum, qui cum Joanne non ſanctam quoque pueritiam habuerit, ſperare nemo poſſit.

16. Quanta neceſſitas Tyronibus incumberet primo quoque tempore à ſuo in Religioſas Domos ingreſſu ſe totos ad ſanctioris vitæ normam fingendi, nunquam magìs exploratum habui, quàm cùm apud Climachũ funeſtos illos exitus legi, quos ijs, qui modicis initijs contenti nihil magnum, nihil eximium ſpirant, ominari non dubitavit. Igitur magnis vocibus Cœnobij ſui, quod in Sinæo Monte moderabatur, clauſtra perſonans, O nos miſeros, inquiebat, ſi hos intra parietes adoleſcentes admiſerimus, qui citiùs pœnè ab opere manum retrahant, quàm admoverint, & in ipſo in ſtadium ingreſſu laſſati ad quietem potiùs quàm ad metam aſpirent: ijdẽ verò multò miſeriores erunt, ſi huc ſe conferent, ut proprias quidem cupiditates, quà libebit, debellent, ſed interim nullâ hoſtilis cruoris ſiti accenſi pri-

priùs canant receptui, quàm pugnandi ſignum proponatur. Equidem niſi tam ignavis animis jam nunc exequias adornamus, ſpiritualis conflictûs naturam penitus ignoramus. *Odioſum ſanè*, ait Climachus, PERICULIQUE PLENISSIMUM EST, *in ipſo conflictûs congreſſu* LASSESCERE *luctantem.* EST ENIM FUTURÆ NECIS ARGUMENTUM NON OBSCURUM. *Erit nobis omninò perutile, forte, & validum renunciationis initium arripere.* Potéſtne autem luculentius quidquam, & ad injiciendum ijs terrorem accommodatius dici, qui Crucis Vexilla ſecuti non primum inter Crucifixos locum animo præceperunt? Sanè plusquàm dici queat, neceſſaria eſt omnibus, qui ad Calvarium montem propiùs accedunt, hæc celſitudo mentis: E primis quippe paſſibus, quibus in jugum adſcenditur, conjectura fit, quos quiſque ſaltus ſit daturus, cùm in Crucis, quam Mundi totius impendio ſibi comparavit, conſpectum venerit. Si enim ad radices Montis exultat, volabit in faſtigio: atqui nul-

Grad. 1. To. 48. 3.

nulla ſpes eſt, egregias unquam Operas nobis obventuras, niſi Tyrones impigros ſtrenuóſque formaverimus.

17. Et verò Divinæ Sapientiæ placuit, quod demonſtrare aggredimur, planum nobis facere, cùm cœleſtem Civitatem Beatarum mentium regiam delinearet. Propoſitâ igitur futuræ Urbis Ichnographiâ, ſolæ ſolidæq; gemmæ in fundamenta demiſſæ fuêre. *Fundamentũ muri Civitatis* OMNI LAPIDE PRE-
Apoc. 21. 1. TIOSO ORNATUM. Porrò ne quis putaret, Uniones illos mœnium fundamentis pro tectorio duntaxat fuiſſe, quemadmodum apud nos Tophi ac Silices, qui parietem componunt, ſecti Achatis, lapidíſque ſtellati tenuiſſimis lamellis exornantur, ut ab hac inquam, opinione nos ſacer Scriptor abduceret, totam, quanta quanta erat, latitudinem foſſæ Amethyſtis ac Carbunculis expletam ſtipatámq; fuiſſe teſtatur. *Fundamentum primum Iaſpis, ſecundum Saphirus, tertium Chalcedonius, quartum Smaragdus*, &c, ut, quæ ſequuntur, omittam, *duodecimum Amethy-*

ſtus:

stus: in hunc modum substructione factâ, cætera moles in Crystallum & aurum desinebat. Quis verò non videt hac cœlestis Architectonicæ formâ Religiosarum Ædium structurã adumbrari, Religiosósque Viros admoneri, multò majus in soliditate perfectionéque fundamentorum, quàm in propylæi majestate, & conclavium amplitudine, ordinéque momentum esse? Nempè qui parietibus Jaspides & Adamantas supposuit, satìs ostendit, Apostolicæ Sanctitatis molem educere volentibus, plus laboris industriæque ab ijs postulari, qui opus inchoant, quàm qui cœptum ad finem perducunt. Quòdsi autem requirat aliquis, eccur tantum à Tyronibus, & qui nuper ad nos accesserunt, studium, tantámque Virtutis omnis affluentiam exigam; ajo, idem Joanni sub primos vitæ dies contigisse. Adducor proínde, ut credam, eo planè modo Apostolos alienæ saluti destinatos in Evangelicam vitam nasci oportere, quo Servatoris Tubam Præcursorémque editum in lucem fuisse legimus. Quemadmodum

enim

enim Joannes utrumque parentem Spiritu ſancto, quo erat pleniſſimus, replevit, atque alterius quidem viſcera priuſquam naſceretur conſecravit, alterius verò linguam ſtatim ac natus eſt ad vaticinia erudivit, planè ut in cunis vagiens etiamnum Genitoribus ſuis Virtutis Magiſter efficeretur, ſuáque illos ſanctitate imbueret: ità par eſt eos, qui hanc domum tanquam alteras cunas ſortiti ſunt, eâ integritate morum, omníſque vitæ perfectione conſpicuos eſſe, ut è vaſto ardorum ſuorum incendio non minorem divinorum ſenſorum copiam ad Veteranos tranſmittant, quàm in Eliſabetham & Zachariam Joannes puer transfuderit. Neque hanc illis neceſſitatem ſolùm prodigioſi Infantis, quod attulimus, Paradigma imponit: requirit hoc ipſa ſpiritualis Infantiæ natura, ut quæ præ omni alia piè viventium ætate ſingulari virtute opus habet. Veteranis quidem longa religioſæ ſervitutis aſſuetudo Mundi rerúmque caducarum imagines è memoria delevit: cupiditates toties edomitæ vel nullæ in ijs, vel, ſi quæ ſunt,

vin-

vinculis constrictæ jacent. Virtutes diuturnâ exercitatione confirmatæ in id robur apud eos adolevêre, ut nullo unquam tempore ex eorum animis evelli posse videantur. Jam verò sacra volumina toties lecta & relecta, Evangelica monita nunquam non opere expleta, cogitationes in æternitatem defixæ, Crux nunquam ab amplexu dimissa, Deus ipse omni amore atque obsequio cultus, animus toto mundo superior, eáque omnia tam longâ annorum serie, usúque perpetuo confirmatá tantum Virtuti præsidium parant, ut præclara consilia, quæ in divinarum rerum contemplatione susceperunt, ac subinde fortiter administravêre, immota persistant, nullis unquam adversitatibus cessura. Id totum scilicet Tyronibus deest, contra quos Mundi castra nuper admodum deserta stant etiamnum ex adverso; quos collato pede cominus impugnant parentum ac consanguineorum amor, Patriæ dulcis memoria, voluptatum veteres amicitiæ, paternæ domûs affluentia ac nobilitas, sensuum illecebræ, cupidi-

tates, pravíque habitus animi, quorum vim neque ſui vincendi ſtudium adhuc infregit, neque frequens pugna debilitavit. Quo fit, ut, cùm Chriſti novus miles inimicos habeat, & ob veterum deliciarum memoriam proximiores, & ob imaginum menti ſuæ impreſſarum varietatem numeroſiores, & ob inolitam cum hujus ſeculi rebus, quarum vehementiâ olim vel concuſſum, vel etiam everſum ſe meminit, conſuetudinem robuſtiores, nemo non videt, quantò potentioribus armis muniendus ſit novitius Mundi tranſfuga, ut neque hoſtibus tergum neque manum præbere vinculis debeat. Quamobrem neque Climacho querelas vanus timor ſed matura prudentia expreſſit, neq; profuſionis fuit, ſed neceſſitatis, cœleſti Civitati tam pretioſa fundamenta ſubjeciſſe, neque demum ſupervacanea illa Dei dona fuêre, quæ ille Joanni contulit, atq; ipſe materno etiamnum clauſus in utero pluribus incrementis auxit. Ite jam, ac dicite, nonnullam Virtutis remiſſionem condonari Tyronibus poſſe, ob eam vide-

delicet ſpem, quòd is, qui nondum in Apoſtolum formatus ſit, paulatim ac cum tempore ſit aſſecuturus, quod nondum tenet. Itáne verò paulatim, inquis? dic autem, quænam illa Davidis oratio fuit, cùm Dei Servos in Evangelicæ perfectionis ſtadio curſũ ineuntes deſcribit. Quid? nónne Gigantes illos appellat vel in faſcijs, ſimilémque cum Deo quem ſequerentur tenêre curſum ait, qui videlicet *Exultavit ùt Gigas ad currendam viam?* Ps. 18. 6. An autem hoc Gigantis nomen in Joannem convenire obſcurum eſt, qui vixdum formatus in utero, Divino Spiritu non tinctus modò, ut ità dicam, ſed planè inundatus eſt, ejúſque vivum quoddam Templum fuit. Quid? An ſpes tam longas inchoare Chriſtus Apoſtolis ſuis conceſſit? Hoc igitur videamus.

18. Exegit ille ab ijs, qui ſalutem humanam unà ſecum promovere vellent, ut à paternis ædibus eâ alacritate ſe proriperent, eáque animi promptitudine ad ſacrum Cœnaculum proficiſcerentur, ut orientis Solis, Orbémque colluſtrantis

imaginem referre viderentur. *Vos estis* LUX *mundi.* Nempe nascitura arbor jacto semine terræ commendatur, tum frondet, ac se humo attollit, deinceps explicat sese: flores fructibus præmittit, ac coloni spem totâ hyeme, vere, atque æstate differt. At verò lux tota simul numerísque omnibus absoluta nascitur, nec ullam primordiorum tenuitatem progressúsque tarditatem sentit. *Omnia simul profudisti* (verba sunt Plinij Trajanum laudantis) & VELUT DIES *non parte aliquâ*, SED TOTUS, ET STATIM, *nec uni aut alteri, sed omnibus in commune profertur.* En tibi legitimam descriptionem ejus, qui meliorem vitam auspicatur. Deleat ex animo omnem Arboris, licèt illa Vitæ arbor esset, imaginem, ob eam tarditatem, quam stirpes ejusmodi requirunt, ut floreant, ac crescant. Cœli potiùs lumina suspiciat; quæ nunquam nisi planè perfecta videntur, ac momento, quantum in ipsis est, subjectis sibi corporibus vim suam radiósque impertiunt. *Non uni aut alteri, sed omnibus in commune profertur.* Hoc su-

Paneg. ad Trajan. To. 10. 55.

ſupernorum ſiderum paradigmate Solis nomen abrogatur ijs omnibus, qui per intervalla relucent, & pedetentim quodammodò emicant. Quippe qui nunc uni cuipiam Legi parent, plures alias convellunt; jam Virtutem aliquam amplectuntur, negligunt multas; modò alacres & prompti, remiſſi ſubinde ac ſegnes: interdum ærumnas ſitire ſe profitentur, àc paulò pòſt omnem cruciatûs cujuſcunq; umbram expaveſcunt. Non eſt hoc, non eſt Diei, quæ momento tota atque ubique illuceſcit, Ortum nobis repræſentare.

19. Ab hac porrò lucem latè ac momento ſpargendi neceſſitate exire nullâ ratione poſſunt hujus Domûs Alumni; ea enim eſt tum jugi hujus ſuavitas, tum conſuetudinum, quibus hìc vivitur, moderatio, ut nullam poſſit excuſationem obtendere, qui non omnibus ſeſe attemperat. Anachoretis quidem & nemorum habitatoribus, tametſi magno Virtutis ſtudio teneantur, veſtis aſperitas, tenuitas victûs, lecti durities, precum aſſiduitas, laboris difficultas atque contentio, rigor

ſilentij, carnificina ſenſuum, jejuniorum auſteritas, Clauſtri cuſtodia, ſilvæ horror, tugurij anguſtiæ, ſolitudinis ſqualor, pedum nuditas, aliáque id genus ſexcenta poſſunt forſan tam difficile id vitæ genus reddere, ut principio quidem unus & alter vel titubet aliquantùm, vel etiam de conſtantia deiiciatur. Iis verò qui in hac Domo vivunt, in qua imperij ſumma lenitas, Inſtituti ratio, vitæ tenor nihil ab humano more abhorrens, afflictationes corporis moderatæ, & ad prudentiæ leges exactæ, Præſidum benignitas ſingularis, animorum cultura perdiligens, Sodalium ad eandem Virtutem aſpirantium concordia, Exempli optimi fragrantia, piorum ſermonum ardor, lac doctrinæ, Religioſi Vocatûs cœleſtia munera omnem defenſionis locum præcludunt, eúmque, qui in Virtute non proficit, & inter tot flammas non ardet, nè proficere quidem atque inflammari poſſe demonſtrant. Quis enim Societati hanc à ſe vitæ perfectionem primo ſtatim tempore requirenti negare poteſt? dum hinc quidem à filijs ſuis ſummã

in refrenandis animi perturbationibus, in afflictando verò corpore temperatam, nec majorem quàm vel necessitas postulet, vel vires ferant, severitatem ac vehementiam postulat. Quid si incruentâ virtute contenta satìs habet, si floreat innocentiâ, tametsi nullis spinis interpungatur? Quid si Nos Deo quàm conjunctissimos, & cum Paulo in tertium usque cœlum sublatos videre quidem cupit, sed secedere à corpore, omnémque ejus curam omittere non itidem jubet? Maturitatem frugis à nobis, sed suavissimorum desideriorum Vere quodam temperatam requirit. Fructus exigit, operúmque proventus, sed quos liberalis animi Autumnus proferat. Virtutem numeris omnibus absolutam à nobis expectat, sed quæ neque vulneribus, neque vigilijs, neque vitá simillimâ morti nobis comparanda sit. Quid multa? tanquam Victoribus Lauream imponit, licèt neque gladio sensus nostros vastemus, neque malleis ossa tundamus; Sanctitatis palmam largitur, sed vitam interim indulget; mortificationem non mortem, pie-

tatis denique ſuaveolentiam, nullâ tamen carbonum violentiâ fumantem commendat. Quemadmodum igitur multos Anachoretarum reperias, quibus auſteritas Diſciplinæ poſſit eas querelas exprimere, quas apud Auguſtinum à duobus Cæſaris familiaribus Aulæ tædio effuſas leges: *Per quot pericula pervenitur ad grandius periculum!* Ità quilibet Alumnus noſter, ſi, quali ambroſiâ paſcatur, expendat, idipſum quod ex ijs alter intulit, ſubjungere poteſt: *Amicus autem Dei ſi voluero, ecce nunc fio.* Sic eſt profectò; quippe, ut in hac Societate Primogenitus ſis in multis fratribus, ſatìs eſt magno conſtantíque animo tecum ſtatuas, te, quicquid hæc tua Mater à te poſtulaverit, ſeriò, accuratéque perfecturum. *Filius autem Societatis, ſi voluero, nunc fio.*

20. Et profectò quiſquis hos ad Virtutem animos, & alacritatem ejuſmodi non affert, haud levem ſuſpicandi anſam præbet, fore, ut in Societate inſtar corporis mortalis, infinitis miſerijs ſubjecti ſuccreſcat, procúlque abſit ab ea dignitate,

te,

te, quæ Animæ quippe immortali, & inviolabili propria eſt. Et verò humani corporis membra tam lentè formantur, ut principio alterum ab altero dignoſci nullâ ratione queat, nihílque præter confuſam molem, & informem maſſam appareat, particularibus, ùt ajunt, formis malè ſuſtentatam. Diverſa omnia in Anima contingunt. Hæc enim utpote Numinis Filia ſimul ac eſt, vivit, omnéſque fœtûs partes animat ſola. Ad hunc modum, qui perfectæ, numeríſque omnibus abſolutæ formæ inſtar habet, non diu luctatur, ac comparat ſe ſe; ſed momento exiſtit. Nempe formarum accidentariarũ, quæq; corruptrices dicuntur, hoc proprium eſt, ut habeant difficultates, quas vincant, & non niſi temporis ſucceſſu, multáque vi locum, per quem ſe corpora explicent, obtineant. Hinc ſe metiatur oportet, qui toto biennio vix aliquid promovet. Certè, qui tam lentè formatur, atque perficitur, non Animus is mihi, ſed Animal videtur. Huc facit, quod ingeniosè animadvertit Auguſtinus, Sauli in Paulum mu-

tati Conversionem factam tanta cum celeritate fuisse, ut ex equo excussus, simul ac è terra consurrexerit, Apostoli nomen, & perfecti viri decus inde retulerit. Quam ob rem Christus cum Anania de illo verba faciens, non Saulum olim Vineæ suæ Colonum, & Militiæ suæ Ducem futurum; verùm eum solo tridui spatio tantùm profecisse dixit, ut ab ipsis Conversionis suæ principijs Vas Electionis, Evangelij Tuba, Petri Collega, & Gentium omnium Magister appellari potuerit. *Quoniam Vas Electionis* EST *mihi iste.* Non dixit *Erit*, sed *Est*: indicaturus scilicet, tantis incrementis brevissimo tempore auctam fuisse magni Catechumeni Virtutem, ut maximos Ecclesiæ administros æquaret. Quæ causa fuit, ut Augustinus de illo scribere non dubitârit: ADHUC *positis in terra membris*, FORMATUR EX PERSECUTORE PRÆDICATOR, *& ex hoste miles.* Jam tum, cùm in pulvere Paulus etiamnum volutaretur, spargendæ à se doctrinæ semina digerebat; Epistolarum, quas subinde conscripsit, argumen-

Ser. 1. de Convers. Pauli.

ta

ta excogitabat;expeditiones,quas ſuſcepit, meditabatur: Europam, Aſiámque, tótque alias Provincias, quas ab Idolorùm cultu abſtractas, Deo ac Religioni ſubjecit, animo complectebatur. Nondum ab eo tempore, quo ad res tantas vocatus erat, hora fluxerat, cùm ille perfidiam ſuam averſari, atque ultum ire, injurias Chriſti ſectatoribus illatas gemitibus lachrimíſque abolere, ſeriò cum animo ſuo ſtatuere, non quieturum ſe, donec novæ Legi non ſolùm tot capita, quot antè injectis catenis à Crucis vexillo abſtraxerat, ſed totidem Urbes, ac, pœnè dixerim, Regna blandis hortationibus reſtituiſſet. Verbo, Apoſtolus antè, quàm Neophytus, nondum piacularibus undis caput ſubjecerat, & ſanguinem pro religione, quam à pluribus annis inſectatus fuiſſet, profundere geſtiebat. Itáne vos illum, qui primo ſtatim Converſionis ſuæ momento grandem illam vocem miſerat: *Domine, quid me vis facere?* eáque dira famis mala, lapidum imbres, flagrorum ſævitiem, ergaſtulorum pedorem, crucem, mortem

deni-

denique ipsam provocârat, paulatim se perfecisse, ac, captatis temporum intervallis, se in Apostolum finxisse dicetis? Nempe si vox una eum dejecit, si pauci de cœlo radij eum penitus immutârunt, si tridui spatium ad Sanctitatem eum perduxit, nos deinde contendemus, ad vitæ perfectionem pedetentim, atque interpositis moris, hoc est lentè festinandum esse? Ne verò putetis, tam repentinam morum conversionem in eos tantùm cadere, quos Ecclesia Duces, & Evangelica Lex maximos interpretes habitura erat. Non minùs festinata vitæ mutatio, nec minùs velox ab adoratione saxorum, ac in legiferorum & Dei digito scriptorum marmorum reverentiam transitus Moysi asseclis imperatus est.

21. Id scilicet immensus ille Colossus luculenter expressit, quem Rex somniaverat, lapillus everterat, Daniel fuerat interpretatus. Nemo est, qui nesciat, quàm vastum illud simulacrum, quámq; multiplici metallorum varietate compositum fuerit. At fortè non omnes animad-

verterunt, quâ ratione prodigiosa illa Moles destructa sit. Enimverò utì admistâ glebâ sensuum inquinamenta notabantur, ità ferro crudelitas, ære dolus, argento vanitas, auro superbia figurabatur. At enim vitia genere suo tam immania, & difficultate propemodum insuperabilia nō annorum longa series, aut impacti diu sæpéq; mallei constantia emendavit, sed primo lapidis à scopulo excidentis attactu deleta penitus, ac sublata fuerunt. TUNC CONTRITA SUNT PARITER, *testa, ferrum, æs, argentum & aurum, & locus non est inventus eorum ampliùs.* Dan. 2. 35. Neque sic satìs comminutum fuisse simulacrum est visum: quippe membrorum locum idem ille vastator lapis occupavit, atque in immensum adeò excrevit, ut totum impleret Orbem terrarum. *Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est Mons magnus, ità ut impleret universam terram.* Sed enim contrà evenire debuerat, si Tepidorum Tyronum sive orationem, sive, multóque id magis, vitam moresque spectemus; debuit scilicet inter pedum, capi-

pi-

pitíſque ruinam tempus moráque longior interceſſiſſe. Nimirum frangi primò teſta, tum ferrum comminui, ſubinde in pulverem æs argentúmque redigi oportuerat, ut àuri denique ſplendor omnis ac ſpecies aboleretur. At verò Deus, ut eos in ruborem daret, qui Virtutis perfectionem ſe gradatim adeptos eſſe, vaniſſimè gloriantur, omnia illa peſſimarum cupiditatum ſymbola uno eodémque articulo temporis interire, paritérque è ſomniantis Principis oculis evaneſcere juſſit. TUNC *contrita ſunt* PARITER. Huc oculos, exclamat Richardus, huc animum advertite, qui ad virtutem aſpiratis, & in hujus confuſiſſimæ Babylonis ruina tanquam in ſpeculo vos contemplamini. Si ſeriò prorſúſque Deo vos conſecrare perſuaſum habetis, id cum animis veſtris ſtatuite, primo quoque divini luminis illapſu omnes omninò cupiditates, quibus quondam paruiſtis, vobis exſtinguendas eſſe. Divini Numinis timor veteres propenſiones omnes uno agmine ex animis veſtris eijciat, ut hic ſolus Tyronum memoriam, intel-

telligentiam, ac voluntatem ſic occupet, ut id ſolùm meminerit, promeruiſſe ſe, qui æternùm ardeat; útq; non aliâ re, quàm promiſſæ felicitatis æternæ cognitione ingenium oblectet; nil denique præter ſalútem ſuam optet, ac concupiſcat. *Lapis iſte*, inquit laudatus Auctor, TIMOR EST DIVINITUS *inſpiratus*, QUO STATUA DEJICITUR. Et erit aliquis, qui, cùm primo cœleſtis monitionis ictu immanem Coloſſum ſolo æquatum, omniáque ejus membra comminuta penitus videat, confidat nihilominùs, plurium ordine menſium emendandis vitijs, inſerendíſque virtutibus apparare ſe poſſe?

Lib. de Erud. c. 27. To. 76. 106.

22. Quippeni autem, inquis, cùm Apoſtolus maximus Virtutis Præceptor, fateri non dubitet, Diſcipulos ſuos ad Calvarij montis verticem gradatim lentóque paſſu à ſe promotos fuiſſe? *Lac vobis potum dedi, non eſcam.* Quibus ut reſpondeam, ajo neſcire me, an Apoſtolus doctrinam Religioſorum Ordinum Exercitationibus adeò repugnantem tradiderit. Subinde

1. Cor. 3. 2.

non

non tam illud ego, quod Paulus ſcripſit, quàm quod Dei Filius, cùm illum ad fidem adduceret, geſſit, intueor. Sed néc illud inquiro, quantum Diſcipulis ſuis tempus, quo ſe perficerent, definiverit. Id ſcio eum non toto horæ unius ſpatio è lupo in Paſtorem, & è ſacrilego in religioſiſſimum Antiſtitem mutatum fuiſſe. Verùm age, recognoſce mecum Pauli oraculum, & an tarditati, quam increpo, quámque illi defendunt, qui ſacrorum Cœtuum experientiæ diffidunt, patrocinetur, diſquiramus. Ac ſententiam quidem illam in priori ad Corinthios data Epiſtola reperies, quâ magnus Gentium Doctor Eccleſiæ illius Neophytos tanquam infantes alloquitur, iiſque loco calicis ubera porrigit: *Lac*, inquit, *vobis dedi*
1. Cor. 1. *potum, non eſcam: nondum enim poteratis.* Hoccine illud eſt, quo lentè currentium ſegnitiem tuebare, ſtadiúmque pro eorum commoditate metiebaris? Et quod genus lactis ex Apoſtoli pectore manare potuit, cùm nullam corporis partem haberet, quam non flagris concidiſſent impij, non
la-

lapidibus invidi appetijssent? Certè si Pauli ubera premas, haud aliud in Tyronum potum possis elicere, quàm fel ac cruorem, cùm nullus à vulnere locus vacaret. Quod si verò laudatæ sententiæ mentem intelligere ex me non lubet, Augustinum certè audietis, qui multò rigidiùs eam exponit. Túne, inquit, Lactis Apostolici fiduciâ tibi blandiris? vidésne autem in ejus poculi, quod egregius Magister Alumnis suis propinat, fundo latêre non chlamydis atque arundinis in atrio ludibria, sed spinas, sed clavos, sed lanceam, sed Crucem cum toto Golgothæ monte abscondi? *Christus crucifixus est*, QUO VELUT LACTE *discipulos suos aluisse dicit Apostolus*. Hic nimirum, hic ille liquor erat, quem filiolis suis eâ tempestate instillabat Ecclesia. Nemo verò hanc Sancti Doctoris expositionem immodicæ exaggerationis coarguat: Quidquid enim litteris ille consignavit, id omne primi Animorum Duces in subterraneis specubus sui seculi Christianis proposuerunt. Meminisse suos illi non Neophytos modò,

Tract. 98. in Ioan. To. 3. 233.

verùm etiam Catechumenos jubebant, debere ipſos fidem ſuam palàm profiteri, ſive cùm à Tyrannis ſuper ea interpellarentur, ſive cùm eam ab Idololatris contemni viderent. Denunciabantur novæ Legis Infantibus, Cuſtodiarum ſqualor, Prætorum barbaries, inhumanitas lictorum, ſuppliciorum acerbitas, ac morte ipſâ diriora mortis genera. Atque hæc erant prima Diſciplinæ illius rudimenta: contingebátque non rarò, ut qui Chriſtiana ſacra recèns complexus eſſet, madidum adhuc luſtralibus undis vultum fuſo cruore reſpergeret. Quoties deinde Catechumenos non aqua, ſed ignis expiavit, priúſque in Martyrum numerum Mors retulit, quàm Chriſto renati novam à Baptiſmo vitam auſpicarentur? An eſt quiſpiam, qui neſciat, famoſos Hiſtriones Geneſium atque Porphyrium, perceptis vixdũ primis Religionis noſtræ capitibus, in ipſo Theatro, in quo populo ludos dabant, Prætorum ſecuri cervices ſubjeciſſe? Audete jam Lac illud, quod Apoſtolus nuper ad fidem converſis offerebat, ap-

per-

petere, & hiantibus labris ſugere. Utinam verò hæc noſtra ætas tantam in veteranis ſuis virtutem poſſet jactare, quantam in nonnullis ſuis Alumnis illa prior exhibuit. Quare cùm ſupplicia Crucis, & Calvarij montis funeſta Cataſtrophe, ſub Præceptoribus Apoſtolis prima Chriſtianæ doctrinæ Elementa fuiſſe videamus, concludendum neceſſariò erit, neminem deinceps ſperare poſſe, ſe inter veræ Pietatis Diſcipulos unquam numeratum iri, niſi planè perſuaſum habeat, curaturum ſe, ut cum ea ſanctitate inter obſcuræ aſperæque vitæ exercitationes Societati renaſcatur, quâ Joannes Baptiſta Synagogæ inter Sacerdotij ſplendores exortus eſt. *Replebitur Spiritu Sancto* ADHUC *ex utero Matris ſuæ.* Equidem niſi tanta Divini Spiritûs ubertate primis ſtatim vitæ temporibus æterni Verbi Præco inſtructus fuiſſet, ſterilem fortè omnem ætatem, & infructuoſos ultimos muneris ſui annos habuiſſet: neque, utì videtur, de illo aut dictũ aut prædictum fuiſſet: *Multos filiorum Iſraël convertet ad Dominum Deum ſuum.*

23. Cui ſententiæ Caſſianus Abbas memorabili eventu fidem adſtruit. Sanctitatem Paphnutij Thebaidis ſolitudines magnopere mirabantur. Pro ſe quiſquis Anachoretarum illorum in eo ſuſpiciebat donum lachrymarum, mentis in Deum abreptæ celſitudinem, in loquendo ſanctitatem, in agendo ſtrenuitatem, in cogitando ſublimitatem, in bene cœptis conſtantiam; venerabantur ſoliditatem doctrinæ, conſiliorum gravitatem, deſideriorum præſtantiam, atque omnis vitæ perfectionem ſummam. Verbo, tota illa Anachoretarum colonia digito Paphnutium monſtrabat, atque ut venerationem omnibus veneranda ejus canities, ità morum ejus divinitas religionem pœnè injecerat. Haud probavit Piamon, omnium oculos in ejus ſenectutem duntaxat intentos, non reſpicere interim, quàm floridum Ver ſtrenuiſſimæ juventutis nobilẽ hunc decrepitæ ſanctitatis Autumnum præceſſiſſet. Quare convocatis in concilium Archimandritæ Paphnutij laudatoribus, in hanc ſententiam diſſeruit. Vos quidem, in-

inquit, ſalutiferæ illius arboris aurea poma colligitis, at quis veſtrûm ſtirpem ac radicem, unde illa ſuccrevêre, conſiderat? At enim, quem ſenem vos prodigiorum magnitudine, ac vitæ integritate mirabilem prædicatis, ad hoc gloriæ faſtigium aſcendiſſe ſcitote, quòd primis ſtatim militiæ hujus temporibus Angelum innocentiâ, & rerum adverſarum patientiâ ſe Apoſtolum exhibuerit, his gradibus illuc evaſit. Inter iñumera prodigia, quib⁹ Infantiã ſuã exornavit, palmarium illud extitit, cùm furti crimen impactum, conſecutámque ex eo infamiam, eâ conſtantiâ pertulit, ut non modò nullas Apologias texeret, & prolatam à Præſulum Senatu ſententiam, graviſſimámque pœnam facinori tam novo inter Monachos, & inaudito decretam forti animo ſubiret, verùm etiam, ut in accuſationem coiret, & delatoris mendacio fidem adſtrueret, licèt eſſet innocentiſſimus; majora quoque, quàm quæ Patrum Senatûs-Conſulto irrogabantur, ſupplicia acrior ſui Judex inferret. Quod ſi igitur admirabilem ſenij ſanctitatem veñera-

mini, invictam pariter Juvenis patientiam imitari studeatis oportet. *Hæc ille* IN A-
Coll.18.c.14 To. 48.202. DOLESCENTIA *sua futuræ indolis jam tunc indicia* PRÆFIGURANS, *lineas quasdam perfectionis illius, quæ erat maturitate ætatis augenda,* ADHUC IN ANNIS PUERILIBUS *designavit. Si igitur ad culmen virtutum ejus volumus pervenire, talia vobis* EXORDIORUM FUNDAMENTA *jacienda sunt.* Poterátne autem vel Piamon, vel Paphnutius sententiam meam, quam ùt maximè vellem, expromere satìs aptè non poteram, aut luculentiori testimonio, aut illustriori exemplo confirmare? totâ proin contentione vocis exclamo: *Quis est homo qui vult vi-*
Psal.33.13. *tam, diligit dies videre bonos?* Quis est, inquam vestrûm, qui inter operarios Societatis eximius esse, & Orientis Franciscus, & Occidentis Ignatius dici optat? Age, qui tam magnis votis æstuas, & in ipso hujus militiæ Tyrocinio ætatis ultimæ victorias repræsenta, hujus coronas illius laureis adumbra. Sic sunt exordia, qualem progressum ac finem habere optas. Non

enim

enim ſub ultimos vitæ annos ſanctitatis famam poſt ſe relinquere poteſt, niſi qui, cùm primùm Deo renatus in ſanctioris vitæ cunis vagit, ſingularis virtutis præclara ſpecimina jam tum ediderit. Cogitate jam vos, fierínequeat, ut, qui in ipſo melioris vitæ ingreſſu, tanquam longo labore fractus, anhelat, & tum quoque, veluti membris omnibus captus deſidet, cùm commiſſorum pœnitentia non tam ſtimulos quàm alas ad conſcendendum rigidiſſimæ ſeveritatis, & religioſiſſimæ Diſciplinæ faſtigium addere debere videbatur, ut, inquam deinde annis gravis, & varijs ornamentis au ctus, ad Apoſtolicæ auſteritatis maximè arduos difficillimóſque aſcenſus aſpiret? Equidem haud facilè reperietis infantem, qui membrorum uſu & numero ſive adultus, ſive decrepitus à ſe ipſo diſſentiat. Nam qui non omnibus digitis inſtructam manum, nec corpus utroque fultum pede ſecum in lucem attulerit, eam ille inopiam nullo ætatis proceſſu recuperabit. Quo motu brachium in pueritia pollet, pòlleb it pariter in ſenectute;

neque unquam cubitum quis in dorsi sui spinam reclinabit, quod ad hoc genus motûs, cùm formaretur, eruditus non fuerit. Potest ille quidem membrorum multiplicem usum, variáque munera membris suis, artis beneficio impertiri, verùm ipsa variare, motúmque eorum immutare nullâ ratione potest. Age porrò, si glaucoma oculis objectum est, nemo desperat se Medicorum remedijs, aut Chirurgorum artibus lippitudinem depulsurum; at verò nativam cæcitatem nullum unquam Collyrium persanabit. *A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos* CÆCI NATI. Id igitur omni studio contendat, quisquis Deo vivere incipit, atque ad id instituitur, ut aptam sibi formam induat, ut justa se partiũ omnium conformatione absoluat: quod si enim hinc vel patientiâ defectus, vel precandi rudis, vel nullo suiipsius odio, salutísque alienæ studio incensus digressus fuerit, idem deinceps per omnem ætatem futurus est, perpetuùmque secum hominis neque vitijs carentis, neque virtute insignis, notam circumferet, frustrà enim spe-

ſperaverit, ſe ab annis maturioribus id obtenturum, quod primis vitæ religioſæ temporibus à ſe obtinere neglexit.

24. Hoc ipſum, quod hactenus exponere contendi, evidentiùs me demonſtraturum confiderem, ſi paradigmate uti, è profanæ ſuperſtitionis ſacris traducto, iſta me virtutis Palæſtra permitteret. Audeo tamen, & quia, quam narrare inſtituo, Fabula veritati nuper propoſitæ haud leve pondus addit, dicam, quod cæteroqui ſilentio præterirem. Pomona erat ſacrilego ritu à Romanis Deæ loco habita: huic cùm magnam rerum ad vitam ſpectantiũ partem in acceptis referrent ejus cultores, Floræ, tanquam inutili Numini, quæque omnem ſuam providentiam ac liberalitatem in odorum & colorum inanibus illecebris apparandis conſumeret, convitium faciebant. Enimverò ea res vanæ Divinitatis hujus Sacrificulos vehementer offendit, extremámque pomarijs ſterilitatem minati ſunt, ſi quando injurias ſuas ultura Flora, ſtirpes florere vetuiſſet.

Lib. 5. Fast. To.104. 135.

SI BENE FLORUERINT *segetes, erit Area dives*
FLORE SEMEL LÆSO *pereunt viciæq́ fabæq́.*

Fac itaque tu quoque in Viridario, nostro sub Aprilem, Malum auream non florescere, aut postquam floruerit, ustam pruinis in Majo, prægnantem non fieri, quantumvis & rore Cœlum eam foveat, & irrigent pluviæ, & olitor impinguet, nullum tamen ullo in ramo pomum proferet. Adeò scilicet verum est, omnem nostrum in Virtute progressum à principijs pendere: támque arctum fœdus inter primos ultimósque vitæ melioris annos intercedit.

25. Qua in sententia firmiter adeò acquieverunt Ægyptiorum Cœnobiorum Alumni, ut juvenes suos vetarent, ne seniorum quidem laudatissimam vitam sibi pro virtutis suæ forma præstituere, nisi exquirerent priùs, quales illi tum fuissent, cùm ptimùm se ad id vitæ genus conferrent. Eos duntaxat imitandos deligi sinebant, quos sub religiosæ vitæ primordia ma-

magnis animis virtutem coluiſſe communi famâ didiciſſent. NON OMNIUM SENIORUM *nobis ſunt ſectànda veſtigia, ſed eorum, quos laudabiliter vitam ſuam, ac probatiſſimè comperimus* IN JUVENTUTE SIGNASSE. *Divitiæ enim Senum non ſunt canitie capitis*, SED INDUSTRIA JUVENTUTIS *metiendæ.* Et horum quidem ſtatutorum Auctorem Spiritum SanctumSapientesAſcetæ illi dictitabant, apudEccleſiaſticum capite viceſimo quinto, miſerabilem inopémque ſenectutem omnibus ijs Tyronibus ominantem, qui perfectæ virtutis haud magno ſtudio teneantur. *Quæ enim non congregâſti* IN JUVENTUTE, *quomodo invenies in ſenectute tua?* Quis Davidem, eúmque inermem, cum Goliatho, qui unus toti Hebræorum exercitui tot palmis inclyto, ſolo ſui aſpectu terrorem incuſſerat, manum conſerere non obſtupeſcat? At enim ideo ille tantumBellatorem laceſſit, quòd multò ante eam pugnam cum Urſis atque Leonibus, ſylvarum monſtris, collato pede luctatus, ex ipſis eorum faucibus prædam

dam extorſerat. Itaque qui puer in Tigres pugnavit, cum Gigantibus quoque deſcendere in arenam citra periculum potuit.

26. His ità conſtitutis, quemadmodum majori parti Auditorum meorum augurari poſſe videor, fore nimirum, ut vergente in ſenium ætate ſtrenuè conſtantérque ad pietatem incumbant, quoniam eos ipſo limine vitæ religioſæ tam alacres intueor, ità fucum concioni facerem, & in muneris hujus gravitatem peccarem, ſi promiſcuè omnibus ſenectutem virtutibus inſignem promitterem. Equidem integritatem morum in omnibus laudo, ſed non in omnibus ardorem illum, quem in pleríſque ſuſpicio, deprehendo. Proh quantùm me miſeret eorum, qui neque primorum temporum opportunitatem cognoſcunt, neque intelligunt, quanti referat, prima quæque ſemina probatiſſima eſſe. Ne, quæſo vos, in ea Virtutis ſpecie, quam tum loci hujus religio, tum experimentorum ſanctitas ſubminiſtrat, acquieſcendum vobis cogitetis: quippe cùm iſta finem acceperint, & ex Apoſto-

lico

lico Sacrarij hujus, in quo modò versamini, cœnaculo digressi fueritis, nisi internâ opulentiâ, & ardore ingenito, præclarísque studijs animum impleveritis, vos ipsosegentiores frigidiorésque quàm cùm primùm huc ingressi estis, mirabimini. Vel è chalybe confectum speculum, licèt naturâ frigidum, si Soli opponatur, tantum ardorem concipit, ut radios quaquaversum diffundat, & admota ritè ligna succendat, plumbúmque dissolvat. Simul autem Sol se subduxerit, omnis ille adventitius ardor perit, & ad indolem suam reversum, nativo frigore attingentium manus obstupefacit. Non perinde tophis Indicis usuvenit: hi enim in regionum illarum, ad invidiam usque felicium, fodinis solaribus radiis in purgatissimũ argentum, purúmque putum aurum durantur, adeóque penitus in metalli hujus naturã transeunt, ut tametsi Solem cœlo refigi, æternáque nocte obrui terrarum orbem contingeret, ipsi tamen conceptâ luce radiarent, & in ijs exstincti mundi tenebris, esse metalla se, tum pondere, tum pretio de-

demonſtrarent. Id nempe Tyrones illi agunt, qui cor habent: non mutuantur illi externævirtutis fulgorem à tabernaculo in quo degunt, ſed in familiæ mores ac diſciplinam adeò ſe totos transformant, ut & in ea ſanctè vivant, & inſignem ab ea ſecum vitæ ſanctitatem exportent.

27. Et certè nemo eorum, quos utiles Eccleſiæ Operarios informamus, non ſpei noſtræ per omnia reſponderet, ſi eam vitæ perfectionem, quam Apoſtolici muneris dignitas exigit, in Operarijs jam formatis reperirent. Nempe Joannes à materno utero ſanctitatem retulit, eámque ſubinde cum ætate miris incrementis amplificavit. At enim & à ſanctiſſima Matre conceptus, & è paris virtutis Patre genitus eſt. Equidem is non ſum, qui Domicilia noſtra Collegiô Apoſtolicô, & Noëmi Arcâ, quorum alterum non ab omni macula purum, ex altera verò Irriſor Chamus extitit, beatiora me viſurum confidam: ajo nihilominus, quòd, ſicut Juniorum virtuti parùm admodum obſtaturus cujuſdam Condiſcipuli ignavus

tepor

tepor, ſic veterani cujuslibet non optimũ exemplum incredibilem ſtragem illaturum videatur. Cujus rei ea videlicet cauſa eſt, quòd Tyrones in omnium Seniorum actiones intentos habere oculos conſueverint. Non poſſunt enim illl ſibi perſuadere, futurum, ut Præſidum providentia ullum eo loco verſari, patiatur, qui offendiculo ſibi eſſe, ac educationi ſuæ ullâ re officere poſſit. Exiſtimant: quemadmodum Societati viſum ſit, ipſos in loco à turbis remotiore, arctioríque ſepto cuſtodiâ collocare, ità ſolos, qui religioſarum Legum obſervantiâ ſint prorſus eximij, inquilinos admiſiſſe. Quam ob rem ut ab æqualibus ſuis, quippe qui pariter in eodẽ ludo verſentur, perfectæ vitæ formam, quam imitentur, minimè requirunt, ſic eorum, quibus ætas maturior eſt, dicta, facta, motúſque omnes obſervant, nempe quos tanquam ejus formæ, ad quam ipſi ſe fingere debeant, exemplaria ſibi propoſitos à Societate fuiſſe arbitrantur. Neque mirum videri debet, id in Ignatij ædibus evenire, cùm perinde in Patriar-

cha-

charum tentorijs accidiſſe legamus.

28. Iſaacus cum inſigni Virtutis incremento adoleſcebat, licèt junctum lateri ſuo haberet Iſmaëlem omnis pietatis expertem. Nihil ejus ſanctis ardoribus fratris protervia offecit, quòd Patris obedientiam, & matris religionem haberet præ oculis. Sed neque Jacobo vel morum integritatem, vel familiaris cum Deo conſuetudinis decus, Eſaui fratris perfidia imminuit: quippe hinc Matrem Caſtitatis typum, magiſtram pietatis habebat, hinc à Patre inſtituebatur, qui ne Deo repugnaret, parentis ſui gladio cervicem offerre, non dubitârat. Subinde à moribus Abrahami Jacobi filij degenerârunt, adeò quidem, ut è tredecim filijs, quibus Patriarchæ ſtirpem confirmaverat Deus, vix Beniaminum aliquem noxâ vacuum, & Joſephum laude dignum reperias. Cæteri adeò peſſum iêre, ut ſcelerum indicem texere hujus loci Sanctitas nulla ratione patiatur. Eam verò corruptelam non tam mutua inter undenos conſuetudo, quàm Matrum vitia peperêre. Et harum quidẽ

ſi-

ſimultates, atque odia ideo divinus ſcriptor expoſuit, ut ſcirent omnes, vel in Iſraëlis Tabernaculis Abrahami Abnepotes ad flagitia ſuccreſcere, cùm exiguam Balæ ac Zelphæ pietatem, mutuaq́; invidiâ flagrare Rachelem ac Liam, infelicis illius familiæ Matres, pueri viderint. Donec inter juvenes Legum incuria conſtiterit, ſpes eſt, fore, ut Virtutis ardor non intepeſcat, ſi quidem is in ſenioribus luce ſuâ fulgere interim perrexerit. Ab his ſcilicet Juvenum educatio pendet: qui catenus ſolùm proficiunt, quòd vel illorum offenſam timeant, ſi ſecùs fecerint, vel pudorem ſuum non ferant, ſi viderint ſe ab eorum virtute, quos ijs Societas ad imitandum dederit, tam procul abire. Eam ob rem miris ſe ſe modis excruciabat Ambroſius, quoties egregius quiſpiam Mediolanenſis Urbis Presbyter è vita excedebat, haud dubiam cladem proſpiciens, quæ illius Diœceſeos Clericis ab eorum funere immineret. *Cùm aliquis hujuſmodi decidit, afficior, quia deſtituitur* GREX JUVENUM MURO SENILI. *Futu-* *Lib. 2. de Abel. c. 3. To. 10. 191.*

ræ labis HOC PRIMUM INDICIUM EST, *si decidant viri graviores.* Nec minori dolore affici par est Juvenes nostros, si quando contingat, aliquem Seniorum vel è Domo, in qua Deo nuper renati sunt, vel è vita migrare. Et verò miseros illos, si quando nos canitie capitis, & ætatis maturitate ab illo Virtutis studio, quod à nobis & instans exitus, & annorum in Societate transactorum multitudo summũ postulat, adeò remitteremus, ut animum inde sumere auderent adolescentes nostri, circumspiciendi sese, & alter alterum, tanquam perfectæ atque Apostolicæ vitæ, quam meditantur, formam sibi præstituendi. Hæc talis arrogantia forensem eloquentiam, si Plinio credimus, funditus perdidit. Sublatâ enim unà cum veteribus Oratoribus arte dicendi, juvenes, cùm non haberent quos imitarentur, ipsi sibi esse Magistri coacti sunt. *Statim*, inquit,
Lib.8.Ep.24. *sapiunt, statim sciunt omnia, neminem ve-*
To. 29. 28. *rentur*, IMITANTUR NEMINEM, ATQUE IPSI SIBI EXEMPLA SUNT. Tum scilicet animam egit Ro-

ma-

mana Facundia, cùm, deficientibus Prætoribus, Infantes illi Oratores viciſſim ſibi Magiſtri ac Diſcipuli eſſe cœperunt. Spero equidem tale genus monſtri nunquam in Domûs hujus Sacrario conſpectum iri; confido inſuper, fore, ut complures ea ſemper Apoſtolos educet, ſi quidem, ut eſt modò, totidem illa Patriarchas, quot Patres, tot Virtutis Magiſtros, quot Veteranos, numerare perrexerit.

EXHORTATIO XXXIX.

Pridie S. Vitalis Martyris, sub cujus Tutela est Domus ad S. Andream.

Ego sum Vitis, Vos Palmites. *Joan. 15.*

CHristus Sectatores suos ab ijs, quibuscum sanguine juncti essent, dissidere, & à privatis necessitudinibns suis abhorrere voluit. Hanc virtutem à Levitis in Lege veteri Deus requisivit, jussis videlicet, cognato sanguine manus imbuere. Equidem promovendæ necessariorum nostrorum virtuti vel vitam inpendamus; sed super profanis negotijs interpellantibus, ne aures quidem commodandæ sunt. Quisquis

tam

tam beatas prorsúsque Evangelicas inimicitias cum stirpe nostra suscipere reformidat, is neque tranquillè vitam exiget, neque ab omni labe purum Conditori Spiritum reddet. Immodicus erga Propinquos affectus Anachoretas furto adstrinxit, & Martyrij palmã extortam è manibus, in perfidiam commutavit. Hinc Deus eos, qui hoc erga suos studio vinci se patiuntur, gravissimis supplicijs afficit, amplissimis verò præmijs exornat victores.

29. EGo sum Vitis, Vos Palmites. Non hæc Joannis, quippe qui audita referat, sed Divini Verbi nos alloquentis Oratio est. Se Vitem, Apostolos verò, omnésque qui eorum vestigijs se insistere, utì nos, perfitentur, felices Ecclesiæ suæ Palmites Servator appellat. Et his quidem geminum edictum proponit.

Alterum ſic habet: Putantor, ut fructum ferant: Alterum verò: ſi fructum ferre recuſent, amputantor. Vel enim falcem admittant oportet, quâ pampini, optimi cujúſque ſucci prædatores, recidanrur, vel ſi exuberantium foliorum ſterilitatem inducant, ſecurim expectent & flammas. *Omnem Palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum* PURGABIT EUM, *ut fructum plus afferat.* Orationem deinde concludens etiam atque etiam monet, ut ipſi conſtanter perpetuóque adhæreamus, & à Noſtris omnibus penitus recedamus: MANETE IN ME, *& ego in vobis.* Et verò ramuſculum omnem, qui nobiſcum vel coaluerit, vel natus ſit, reſcindi adeò eſt neceſſè, ut Gregorius, cognomento Theologus, huic putationi atque jacturæ feracitatem Palmitum univerſè adſcribat, quaſi ſi plus momenti in falcis uſu, quàm in Solis genitali calore; in vulnere, quàm in pluvijs; in ramorum detractione, quàm in ſtipitis vigore poſitum foret. SECTIONE PULLULAT, *& cùm abſumitur creſcit*

Orat. contra Max. To.59. 165.

crescit. Id quod hodiernâ luce in Vitale fortissimo Christi pugile opere ipso comprobatum spectare licet. Is ab Uxore sanctissima matrona, & à Protasio Gervasióque filijs, fortissimis Athletis, sejunctus, timidum leporem, & in Christianæ professionis constantia vacillantem à perfidiæ barathro, in quod præceps ibat, retractum in Leonem mutavit, animavítque ut vitã potiùs, quàm datam Deo fidem, exuat. Subinde, cùm Ursicino Martyrij coronã asseruisset, Stephani Protomartyris gloriam non æquavit modò, verùm etiam eâ parte superavit, quòd, præter injectos lapides, equulei lanienam, & fossæ tormentum, forti animo pertulerit. Jam verò ut ad nos quoque haud dissimilis Martyrij, quo Religiosæ Vitæ institutum Alumnos suos coronare solet, gloria pertineat, Nobísque adeò, circumcisâ pampinorum luxurie, in Servatore radicatorum Palmitũ illustre nomen conveniat, demonstrare mihi visum est, quàm severè, quantóque jure, Deus à servis suis exigat, ut magno animo, quidquid nobis agnatum est, re-

cidamus, abſtrahamúſque. Atque hoc unum, ex argumento longè graviſſimo, præſens allocutio conſectabitur, & alteri deinceps demonſtrandũ relinquet: hanc, etſi naturâ ſuâ duriſſimam, Diviſionem humanas vires non excedere, quâque ratione ac modo ea perfici queat, docendũ reſervabit.

30. Reperti ſunt haud pauci, qui cùm in Bethlemi ſpecu feſtas Angelorum voces, ſummæ tranquillitatis lætitiæque pacis otia Eccleſiæ promittentium audijſſent: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: in eam opinionem ſe adduci paſſi ſint, ut crederent, naſcentem iſtum Piorum Cœtum, Horto cuidam cultiſſimo, florum amœnitate, ubertate aromatum, aquarum copiâ ridenti ſimillimum futurum, quem Irides coronarent, avium cantus pertonarent, nulla contingere adverſitas auderet. Equidem à conſilijs meis, inquit Servator, & à Legis meæ conſuetudine procul iſti aberrant. Quin vos potiùs à Viridarijs meis Irides illas ablegatis, & gladios, exacutiſſimáſque novaculas præfigi-

figitis, tam potentes, ut arctissima vincula, quibus hominem homini natura colligavit, dissolvant. *Nolite arbitrari, quia* PACEM *veni mittere in terram: non veni pacem mittere, sed* GLADIUM; *veni enim separare hominem adversùs Patrem suum, & filiam adversùs Matrem suam: & inimici hominis domestici ejus.* Quid? Filios ego à Parentibus abhorrere cupio, fratrem dissidere à fratribus jubeo, sanguinem in sanguinem consurgere volo, nihílque commune ijs esse patior, quos eadem ubera, eædem cunæ inseparabili videbantur conjunctione copulâsse. *Non veni Pacem mittere, sed Gladium.* VENI ENIM SEPARARE. Quo loco animadverti velim, non ejusmodi Separationem à familia & cognatione à vobis requiri, quâ Paludamentum Princeps exuit, & diadema interdum deponit è capite. Nempe insignia Dignitatis suæ omittunt Reges, sive ut interdiu quiescant, sive ut noctu commodiùs dormiant. At non multò post ea resumunt, ùt, quæ tantisper sibi detraxerint, mox recepturi. Secùs accidit, ubi gladio

Matth. 10. 34.

ſemel facta diviſio eſt. Nam ſi brachium vel ægro chirurgus, vel in acie pugnanti miles abſciderit, licèt illud victoriæ ſuæ præmijs, armillis videlicet ex hoſte raptis, exornaveris, nunquam poſthac cum reliquo corpore coaleſcet. Quinimò nos ipſi diſjuncta à nobis, & à vermibus corroſa membra, deteſtamur, cáque vel patrio ſepulchro inferimus, vel in foſſas abjecta, lapidibus humóque ſuperobruimus. Nemo truncam manum aſpectu dignatur, & quæ noſtra quondam, & dum corpori hærerent, odoratis abluere lymphis, & exornare gemmis conſueveramus, deinceps odimus, atque averſamur. *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Idipſum in Religioſarum ædium Alumnis, facta à propinquis diſceſſio, efficiat, oportet. Non relinquere duntaxat eos, ſed non aliter averſari debemus, quàm reciſam corporis noſtri partem abominamur, & inviſi cadaveris loco habemus. *Veni enim ſeparare hominem adverſùs Patrem ſuum.* Quod ſi magnum alicui videtur, ſi Divini Magiſtri mentem penitus introſpexerit, parùm admodum, aut potiùs nihil eſſe, comperiet. 31. In-

31. Ingrata profectò vel propria membra sunt, si aut Chirurgi novacula, aut hostile ferrum ea nobis ademerit: at enim quæ cum stomacho quidem aspicimus, non ideo tamen incessimus irati, vel furentes persequimur. Sanè, utì dicebamus, resecto pedi, vel sacris in ædibus, vel in floridis pratis, tumuli honorem impertimur. Id verò Messiæ non est satìs, ut Apostoli sui ac Sectatores à necessarijs, à consanguineis, à paterna stirpe satis remoti censeantur. Licèt igitur è paterna Domo in Dei Familiam transgressi fuerimus, nisi huic à charissimis capitibus absentiæ, capitale insuper odium, professásque inimicitias addamus, nunquam illustres Apostolorum titulos promerebimur. Age Servatoris verba recitemus, quibus omnis hujus sententiæ obscuritas ac dubitatio tollitur. *Si quis* VENIT AD ME: En tibi transitum, & à patrijs sedibus ad Anachoretarum specus, vel Religiosarum ædium cellas migrationem: ET NON ODIT PATREM SUUM, *& Matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & Sorores,* *Luc. 14. 26.*

NON

NON POTEST *meus eſſe Diſcipulus.* Audin' fieri nullâ ratione poſſe, ut is olim, ne dicam in populorum Ducem, & Provinciarum Magiſtrum, ſed ne in Diſcipulum quidem Evangelij & Crucis tyronem evadat; qui contra gentem ſuam, & de familia ſua optimè meritos non exardeſcit, fremit, furit. QUI NON ODIT, *non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Non de relinquendis negligendíſque ſuis; ſed hoſtium loco habendis, ſermo eſt: non ut adverſùs eos, qui te proximè contingunt, averſum animum, verùm ut hoſtilem geras, poſtulatur. QUI NON ODIT *Patrem & Matrem.* Quoniam verò imperium ejuſmodi barbarum prorſus, & ijs, qui Chriſto nomina dederant, indigna tyrannis videbatur, Auguſtinus occurrendum ſibi pro graviſſimi edicti defenſione, & doctrinæ tam neceſſariæ, admirationẽ pariter & horrorẽ detrahendũ ratus, apertè demonſtrat, injuriâ propinquos, ſuper inimicitijs illis, quas cũ ipſis ſuſcipim⁹, nobiſcũ expoſtulare, eò quòd odium, quo eos proſequi jubemur, pari ſeveritate à nobis contrà

nos

nos ipſos, corpora, animóſque noſtros eâdem Lege imperetur. *Qui non odit Patrem, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* NON SUCCENSEANT PARENTES, *hoc præcipere Dominum*, UT EOS ODERIMUS, QUANDO NOBIS HOC DE ANIMA NOSTRA PRÆCIPITUR. Epiſt. 38. To. 45. 239.
Prorſus utì religioſiſſimis Cœnobijs ſolenne eſt, ſenſus corporis animíque facultates nunquam intermiſſis ſupplicijs cruciare, ſive cùm inedia, vigilijs, cilicijs, flagris corpus atteritur, ſive cùm mens omni Magiſtratuum gloria, deliciarum, ſpectaculorum imagine, curioſæ lectionis voluptate, propriorúmque adeò decorum memoriâ ſe fruſtratur: ſic conſanguineis ſeu commoda, ſeu honores procurare prohibemur. Quæ durities atque inhumanitas Odij quidem ſpeciem habet, revera Tutela eſt. Nemo quippe ardentiùs ſeipſum amat, quàm qui corpus ſuum quàm inclementiſſimè accipit, ac voluntati ſuæ perpetuò adverſatur, quibus nempe præſentis vitæ auſteritatibus delicias ſibi & feli-

licitatem fœneratur æternam. Contrà odio plus quàm Vatiniano se prosequuntur, qui præsentis exilij spatio unguentis se perfundunt, & phylacteria dilatant, ut exitium sibi consciscant, & lethiferos dolores arcessant. *Magna & mira sententia: Qui odit Animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Mira sententia, quemadmodum sit hominis* IN ANIMAM SUAM AMOR, UT PEREAT, ODIUM NE PEREAT. *Si malè amaveris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amâsti. Felices, qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.* Quod igitur corpori nostro, dum nullam ei quietis partem, nullam à vexatione vacationem, indulgemus, solemus obijcere, id pariter propinquis nostris obijciamus. Dicat pro se quisque: Vos ego, parentes & consanguinei mei, amare ideò supersedeo, ut diligam: à consuetudine vestra me nunc abstraho, ut arctiùs olim me vobis adstringam. Nam si sancto nos odio, dum in Aegypti hujus calamitoso exilio degimus, prosecuti mutuò fuerim[9], subinde in beata illa Palæstina, quam Mes-

Ioan. 12. 25. Tract. 51. in Ioan. To. 38. 198.

Messias ijs promittit, qui ultrò cum Parentibus suis divortium faciunt, tenerrimis, ijsque innocentissimis amplexibus, conjungemur: in illa scilicet beatissimæ Sionis Arce, cujus portas non alia Clavis meliùs reserat, quàm Gladius ille Evangelicus, qui charissimam nostri partem à nobis resecat, & à sinu nostro sorores parentésque divellit. *Non veni pacem mittere, sed gladium.* In ijs quidem rebus, quæ ad virtutem, promovendámque salutem vestram pertinere videbuntur, nihil à me desiderari patiar, nec dubito, ejus rei gratia sanguinem dependere. Nulla mihi antiquior cura, nullum impensiùs studiũ erit, quàm vestri: & in ijs, quæ Deo gratiores, Virtute præstantiores, à perturbationibus invictos, meritis illustriores reddere poterunt, mihi ante omnes eritis. Ut piè sanctéque vitam exigatis, nulli labores, nullæ vigiliæ unquam mihi graves accident; volupéque erit tempora hujus vitæ abrumpere, ut beatam vobis æternitatem producam. Id solum vos per omnia sacra obtestor, ut ne ad terræ hujus inqui-

na-

namenta me cogatis deſcendere, ut mortali hoc viſco implicare me nolitis, & eatenus mihi liceat procul à vobis penitúſq; abeſſe, & tum in me, tum in vobis Chriſtianâ quadam inimicitiâ, deteſter, quæ nos à perfecta Chriſti imitatione poſſunt abducere. Fas mihi per vos ſit, Evangelicis monitis intentũ, Naturæ obſtrepentis clamores, & humanarum affectionum blanditias, ſurdis auribus præterire.

32. Neque verò ejuſcemodi odium novæ legi Cruces, Clavóſq; paſſim oſtentanti, adeò proprium eſt, ut in veteri quoque Moſaica, quæ tamen præſentium bonorũ affluentiâ pœne tota ſuſtentabatur, cultoribúſque ſuis ubertatem agrorum, ſobolíſque multitudinem promittebat, non etiam templi miniſtris & tabernaculi cuſtodibus imponeretur. Quærit proinde Iſiodorus Peluſiota, quid cauſæ ſit, quòd ſummum Sacerdotium, atque adeò Gentis omníſque Hebræorum ditionis imperium Tribui Levitarum attributum fuerit, utique cùm eam ſors natalium ad tertium locum rejeciſſet. Ad extremum col-

colligit invidendæ illius purpuræ decus cognati ſanguinis effuſione partum Levitis fuiſſe. Iis videlicet manibus Deus Sceptrum dilectæque ſibi Reip. Clavum inſeruit, in quibus enſes effulſerant, ad plectenda chariſſimorum capitum flagitia diſtricti. *Levi, qui tertius erat, quia divini honoris causâ* COGNATORUM SANGUINE MANUS IMPLEVERAT, SACERDOTIO DONATUS EST. Ep. 48. l. 2. To. 4. p. 149.
Rem utì geſta eſt, incredibilem alioquin, niſi Religio auctoritatem faceret, legimus capite triceſimo ſecundo Exodi deſcriptam. Conſpectâ Moyſes perfidi ac vecordis populi turpiſſimâ defectione, qui non vereretur in immortalis Dei conſpectu victimas fuſo à ſe Vitulo immolare, choreíſque nefandis ſacrilegio triumphum adornare; fortiſſimos quoſque de Tribu ſua delegit, juſsítque ſtrictis gladijs in noxiorum exitium properare. Ite, inquit, ac cædite: nemo tamen veſtrum vel inimici, vel ignoti jugulum hauriat. Illos implacabili furore vaſtate, quos amicitiæ neceſſitudo, & ſanguinis conjunctio vobis chariſſimos

reddidit. *Occidat unusquisq;* FRATREM
Exod.32.27. & AMICUM, *& proximum suum.* Et verò tantâ fide demandatam lanienam exequuti sunt, ut eâ ipsâ die ad viginti tria cognatorum corporum millia in arenam procubuerint. *Fecerúntque filii Levi juxta Sermonem Moysi. Et ait Moyses: consecrâstis manus vestras hodie Domino unusquisque in* FILIO, *&* IN FRATRE SUO, *ut detur vobis benedictio.* In qua Vatis sententia, geminum, ídque gravissimum, arcanum continetur. Et primò quidem ausus ille non est filiorum cædem cohortibus, quas armaverat, mandare, satísque visus est habuisse, si familiarium suorum ac fratrum sanguine se cruentarent. *Occidat* FRATREM, & AMICUM & PROXIMUM. Verùm ultra præscriptos limites egregius militum ardor procurrit, abruptis quippe omnibus Naturæ vinculis, & ingenitæ in suos humanitatis obliti, ijs quoque vitam eripuêre, quibus dederant. IN FILIO. Subinde Deus in tanta nocentium cæde, neglecta, quæ vel ignotæ, vel alienæ multitu-
di-

dinis edita fuerat, illam duntaxat Sacerdotio atque Infulis remuneratur, quâ sceleris vindices in agnatos, & quos natura charissimos fecerat, grassati erant. CONSECRASTIS *manus vestras hodie Domino unusquisque in* FILIO, *&* IN FRATRE SUO. Quod idem erat aç dicere: Illas eorum mortes in Religionis vestræ victimis numero, in quibus immolandis innatæ vobis erga stirpem vestram charitati vim longè maximam intulistis. *In Filio & in Fratre suo.* Aliorum cædes ùt vobis nullam è pectore fibram avulsit, ità nullum quoque vel singularis virtutis præmium, vel amplissimæ dignitatis munus è manibus meis in vos derivabit. Adeò verum est, æterno Numini tantò ante Legem Evangelicam placuisse, ut, qui prophanorum hominum turbâ exempti, in familiam suam cooptati essent, cruentis odijs ab omni eo dissiderent, quod animo tenacissimis vinculis Natura illigârat. Et quamvis proditum sacris litteris nō sit, ab ullo Levitarum Patrem, Matrémve trucidatam fuisse, nempe ut venerationi,

quæ ſanctiſſimis ejuſmodi nominibus debetur, conſuleretur, procúlque injuriam omnem à progenitoribus noſtris doceremur habere: non tamen idcirco credendum eſt, invictos illos animos, qui per calcata cadavera gradum ſibi ad Aras faciebant, parentum occurſum expaviſſe. Quippe inter cadentium gemitus Matris ſæpe Patríſque voces audiebantur, filiorum, quos armatos videbant, opem miſerabili ejulatu implorantium. At nemo erat, qui in ſanctiſſimo illo tumultu, & reorum internecione, non exclamaret. Nullus eſt è vobis, qui vel parentes, vel agnatos agnoſcat: quin igitur è conſpectu noſtro faceſſitis, ne quos defenſores imploratis, carnifices ac parricidas habeatis. *Qui dicit*, PATRI SUO, *&* MA-
Deut. 33. TRI SUÆ, NESCIO VOS: *& fratribus ſuis, ignoro vos: & neſcierunt filios ſuos. Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſervaverunt.* Quiſquis igitur vel adolere Deo Thymiama, vel ejus honori Holocauſta conſecrare ambit, â ſtirpe ſua oculos, animúmque avertat: & cùm
in

in eorum corpora, à quibus vitam hausimus, sævire nefas duxerit, certè præsidio suo non tegat, sed improtectos destituat. NESCIO VOS, IGNORO VOS. Hæc eorum Oratio, hæ voces sunt, qui Psalmos Cœlo decantant, & ad Aras sacrificant. Ac proinde Ambrosius tonitru omni minaciore sono proclamat. *Quod autem occidi fecit à proximis proximos, filios à parētib⁹ à fratrib⁹ fratres*, PRÆCEPTUM EVIDENS, QUIA PRÆFERENDA EST RELIGIO NECESSITUDINI, PIETAS PROPINQUITATI. *Ea enim est vera pietas, quæ præponit divina humanis, perpetua temporalibus.* Atque hîc, ùt videtis, non agitur, an Apostolorū successoris animus, distrahi debeat abjectis turpibúsque curis, honores atque divitias, quas ipsi contempsimus, nostris conquirendi. Sed de Ira & Salutari odio illo sermo est, quod à Levitis Aræ custodibus æternus Pater requisivit, & æqualis Patri filius Collegis suis mandavit, videlicet, ut id necessarijs nostris sanctâ quâdam violentiâ rapientes, quod menti tam facilè

Ep. 56. ad Rom. To. 4. 89.

Deum eripit, improbas eorum preces & cupiditatem deteſtemur. Qui Dei in cruce ſuffixi ſervum ſe profitetur, is ab omni re caduca, & univerſis humanis affectionibus refigatur neceſſe eſt, ſibíque chariſſimos ac conjunctiſſimos, ſi opus fuerit, rubore, vel ſi res poſtulaverit, etiam dolore afficiat: eò quòd Amor divinus amores noſtros omnes ad ſe rapiat, & deſideria univerſa conſumat. *Occidat unuſquiſque fratrem & Amicum & proximum.* NESCIUNT ENIM (verba ſunt Ambroſij ſententiam pertexentis) SUIS PARCERE, *qui nihil ſuum nôrunt*: QUONIAM SANCTIS OMNIA DEUS EST.

33. Eam ob rem S. P. N. primis ſtatim ſcriptarum à ſe Conſtitutionum paginis, omnem à filijs ſuis erga gentem ſuam indulgentiæ, obnoxiæque voluntatis ſpeciem latâ lege removit, proſcriptis è memoria mentéque tum eorum nominibus, tum ſtudio properſiore. Octavam enim Summarij Legem perſcribens, Quiſquis, inquit, militiæ noſtræ nomen de-

de-

derit, non modò familiaribus necessarijsque suis nuncium remittat, sed odium quoque adversùs eos sibi à Christo mandatum esse arbitretur *Si quis venit ad me, & NON ODIT patrem suum, & Matrem, non potest meus esse Discipulus.* Id certè præstandum fuit Abramo, ut Vitæ Religiosæ umbram quandam, & Apostolici ministerij rudem imaginem referret. Paternâ domo, natalíque Provinciâ eum expulit Deus; passus est Saram ejus conjugem rapi ab Ægypti Rege; fratris filium ab ejus latere avulsit, Pastorum discordiâ in eam rem opportunè usus: adegit hominem, ut Ismaëlem Agarémque domo exigeret; jussit demum amplissimi patrimonij hæredem, & spem gentis in Monte jugulare primùm, ac deinde subjectis flammis in cinerem redigere. Breviter: ab omnibus, quibuscum illi arctissima necessitudo intercedebat, refixit, voluítque, ut suorum modò absentiam ferret, modò salutem daret in discrimen. En! quantopere Cœlum cupiat universos nos alumnos suos à nostris alienos esse.

34. Quod ſanè, ſi alia deeſſent, è præmiorum magnitudine perſpicitur, quæ Deus affectionis tam vehementis atque indomitæ Victoribus perſolvit ampliſſima. Et quoniam de Abrahamo nobis eſt ſermo, in eo potiſſimùm, quàm ea ſint eximia, recognoſcamus. Vix de Chaldæa Patriarcha digreſſus fuerat, cùm ſe Deus illi ſpectandum obtulit, totámque, quam oculis emetiri poſſet, regionem ejus poſteris ſe transſcripturum recepit. *Apparuit autem Dominus Abraham, & dixit ei:* Gen.12.7. *Semini tuo dabo terram hanc.* Vix Saram rapi viderat, cùm ab eo ipſo, qui injuriam fecerat, pecorum ac ſervorum grege tam copioſo ditatus eſt, ut anguſta illi, quantumcunque ampla, terræ ſpatia eſſent. Gen. 13.1. *Aſcendit ergo Abraham de AEgypto. Erat autem dives valdè in poſſeſſione auri & argenti.* Porrò poſt Lothi Fratris Filij diſceſſum, reportatâ è quatuor Regibus Victoriâ, ſpolijſque opimis nobilitatus, inſigni plauſu à conterminis Principibus exceptus vindicatæ libertatis, aſſertæ-Gen.14.15. que pacis publicæ gloriam tulit. *Irruit ſuper*

per eos nocte, percussitq; eos. Pergamus. Eodem pœne temporis momento, quo Ismaëlem vertere solum jussit, cum impij filij proscriptore fœdus pepegêre, Princeps regionis Abimelechus, & Phicol copiarum Ductor. *Eodem tempore dixit Abimelech, & Phicol princeps exercitûs ejus ad Abraham: Deus tecum est in universis, quæ agis.* Gen.21.22. Quid jam cætera persequar, quæ magnanimo Hebræo in filij jugulum, quem Obedientiæ Victimam destinabat, intentanti collata sunt, & regna promissa, prænunciatas Victorias, Messiam denique ejus stemmati insertum enumerem, atque in re universis notissima, & sacris litteris testatissima, verba consumam? *Quia fecisti hanc rem, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas Cœli*, quæque alia felicitatis Virtutúmque decora vicesimum secundum Genesis caput longâ serie commemorat. Equidem haud facilè reperietis, tantâ unquam præmiorum affluentiâ Deum remuneratum fuisse ullam aliam virtutem, quantâ hanc, quam suademus, à propinquis, medita-

tam

tam potiùs, quàm perfectam disjunctionem prosecutus est. Nullus Anachoreta vel in exesæ rupis horrore, nemo Concionatorum, licèt circumquaque Doctrinæ lumina fundat, nullus denique Martyrum medios inter carnifices, & horribilem tormentorum apparatum constitutus, Deum habuit vel ad ingerenda solatia tam promptum, vel in largiendis præmijs tam profusum, quàm is, qui Religiosis Cœtibus exemplum primus præivit, charos non amandi, & à propinquis faciendi divortium. At, inquies, beneficia hæc sunt ingentia certè, sed obnoxia tempori, sed caduca, sed Synagogâ, quàm Evangelio digniora. Davidem proinde audi, inaudita prorsus præmia, novæque liberalitatis gen⁹ extituris quondam in Ecclesia Vatibus prænunciantem, Deo thesauros suos paternæ domûs oblivioni potissimùm impensuro. *Obliviscere*
Ps. 44. *populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet R ex decorem tuum.* Excitatus nobilissimæ mercedis pollicitatione Hieronymus, ad Cœnobiorum vestibula pro-

cur-

currit, & Evangelicâ lætitiâ ebrius quodammodo, *Grande præmium*, exclamat, *Parentis obliti! Concupiſcet Rex decorem tuum. Dicet tibi: Tota pulchra es Amica mea, & macula non eſt in te.* Deus ille, è cujus vultu ſuſpenſi Cherubini ſanctitatem ac beatitatem hauriunt, neglectis quoddammodo Angelorum in ſe defixis aſpectibus, ad eos ſe convertit, eos intuetur, complectitur, beneficijs ornat, qui omnem è mente ſua patriæ imaginem, parentúmq; memoriam delent. *Obliviſcere, & concupiſcet.*

Ep. 10. To. 17. 56. Can. 4.

35. Porrò quàm certum Deo, & immutabili Decreto fixum eſt, eos, qui demandatæ à propinquis ſeceſſionis legi paruerint, ampliſſimis præmijs remunerari, tantum pariter ejus deſiderium oſtendit graviſſimis in contumaces conſtitutis ſupplicijs. Animos adhibete. Adoleſcentulus quiſpiam S. Benedicto Abbati traditus in diſciplinam fuerat, intérque alios Caſſinenſis Cœnobij alumnus numerabatur. Is furtim è religioſis ſeptis digreſſus eo animo, ut parentes ſalutaret, in ipſo limine

mine paternæ domûs exanimis concidit & vitam posuit malè cautus Tyrunculus. Neque hîc stetit atrocitas supplicij; quippe quem sui terræ mandaverant, postridie sepulchrum revomuit, & in apertum ejecit. Redditum igitur terræ corpus, altiúsque defossum, iterum è tumba evolutum attoniti vidêre. Quare uterque infelicis adolescentis parens Benedictum adiêre, multísque cum lachrymis orârunt, ejus ut ossibus quietem largiretur, à quo nimiùm dilecti fuissent. Quis credat? Sumptum ex Altari Christi corpus, demortui pectori super imponi jussit Vir sanctus, eóque prodigioso præsidio, adversùs indignationem terræ, munitum cadaver, sepulchro denique immotum inhæsit. Res, ùt gesta est, à Gregorio Maximo, sanctissimóque Pontifice describitur, nec sinè horrore legi à quoquam potest, adolescenti ejus ætatis, & sub ipsa Religiosi Instituti principia, vitam ademptam, & sepulchrum occlusum, eam solùm ob causam, quòd parentes, plùs, quàm par erat, dilexisset. *Dum quidam ejus* PUE-

RU-

RULUS MONACHUS, PARENTES SUOS ULTRA QUAM DEBERET DILIGENS, *de Monasterio exisset*, MOX, *ùt ad eos pervenit*, DEFUNCTUS EST. *Cumque esset sepultus, die altero projectum foras corpus*, & quæ sequuntur apud Gregorium funestissimi casûs seriem percensentem, gravitérque ponderantem. Age jam, si noxiam ejusmodi, in qua vix crimen agnoscas, seu levitatem erroris, seu ætatis infirmitatem, sive denique causam profectionis spectes, Divina tamen Justitia tàm gravi, totiésque repetito supplicio castigavit; quo demum fulmine feriendum se putare debet, qui post plura Religiosæ vitæ lustra, multò longiùs se abduci sinit, & à carne ac sanguine longè ulteriùs pertrahitur? Hos ego Jesu Christi nomine compello, & heus vos, inquam, *Mementote Vxoris Loth.* Vix enim incauta Mulier, quæ tot annos, tàm clarâ famâ Virtutis, in thalamo sapientissimi Viri exegerat, quæque, ut peregrinos hospites suos ab injuria defenderet, haud repugnavit, quò minùs Maritus com-

Lib. 2. Dial. c. 24. T. 32. 415.

Luc. 17. 32.

communes liberos inſanæ plebis furiis, & Procerum libidini objiceret, vix, inquam, oculos eò, unde digreſſa erat, reflexerat, viſura ſcilicet, quid domo paternâ, quid duobus generis, quos in urbe reliquerat, fieret, cùm in ſtatuam verſa, vitam pariter & ſupremum ſepulchri munus amiſit. *Retrò aſpexit*, ait Auguſtinus, ET
Ser. 29. de UBI RESPEXIT, IBI REMANSIT.
Verb. Dom. *In Salem converſa eſt, ut prudentes* CON-
To. 26. 47. DIRET EXEMPLO. Quod ſi ergo ad neceſſitudines ſuas, dum vaſtis incendiis hauriuntur, mediáſque inter flammas fremunt, atque intereunt, oculum temerè convertiſſe tantum piaculum eſt, ut novâ prorſus & inauditâ carnis in marmor converſione plectatur, perpetuáque proſtare debeat & ſupplicii nota, & prodigioſi ſpectaculi probrum immortale; conjiciat unuſquiſque, quæ quantáque vaſtitas inferenda ſit menti ſuæ, ſi eam in cognati ſanguinis contemplando faſtu, deliciíſque defigat, ídque non eo tempore, quo domûs crepitantibus ex buſto flammis injicere ſalutarem terrorem, ſed inter deli-

cias

cias & honores aſſurgens blandiri eâ ſpecie, & curulium ſedium oſtentatione, veluti efficaciſſimo faſcino, Crucis Amorem expugnare, Diſciplinæque Apoſtolicæ faſtidium creare intuentibus conſuevit. UBI RESPEXIT, IBI REMANSIT. Nimis profectò, nimis potentes ſunt eæ machinæ, quas nobis cognati ſanguinis, infelicis licèt, & ad ſupplicia damnati, amor admovet, ínque perfectionis ſtadio ſufflaminat vel gigantes: intuentes vincit, & invidentes enervat. At fortè pauciſſimos, & nullius nominis homines reperire ſit, qui dum parentes, quos Chriſto poſthabuerunt, alloquuntur, & cum propinquis, quos ad Aram Cœlo victimas fecerunt, verſantur, adeò iſtorum blanditijs, & honorum ac voluptatum illecebris, quibus illos affluere vident, capti ſint, ut horrendis inconſtántium ſuppliciis inconcuſſi, & quâvis rupe duriores ſurdioréſque, neque Præſidum monitis, neque tot aliorum exemplis moveantur; qui rorantia lachrymis lumina, uberáque melle fluentia utriuſque parentis negli-

gunt;

gunt, eam duntaxat ob cauſam, ut expeditiùs in Calvariæ clivum enitantur, & in Crucis amplexus ruant; ipſi interim nihil tam præclaris aliorum ſtudiis moti, turpiter à Chriſto deficiant, & per calcatam Crucem evolent in parentum ſinus. *Vbi reſpexit, ibi remanſit.*

36. Video aliquem, qui Mulieris in ſaxum verſæ ſpectaculo non adeò tangatur, quòd procul à patria, procul à propinquis, alióque ſub cœlo degat. Vivimus, inquiunt, adeò ſejuncti, ut nullus invicem intercedere conſpectus queat. Quare ſi illa *ubi reſpexit, ibi remanſit*; nihil ad nos tanto terrarum intervallo à noſtris ſemotos, intentati fulminis minæ pertinere videntur. At enim hanc veſtram confidentiam, falſámque ſecuritatem caſtigabit Ambroſius. Quandocunque parentum convivia, villas, latifundia, venationes ſecum animus retractat, longè illis vicinior intimiórque redditur, quàm Generorum buſto ſe Lothi Conjunx admoverit. Quod ſi autem oculi jactus illam perdidit & ſaxo mutavit, mul-

tò funeſtiores erunt Metamorphoſes noſtræ, quæ à mentis obtutu tantò efficaciore, quantò corporis lumen ratio vincit, proficiſcuntur. Sed Ambroſium audiamus. *Nemo*, inquit, *ſibi de abſentia blandiatur*, PRÆSENTIOR EST, QUI SE ANIMIS INSERIT, QUAM QUI OCULIS. *Plus enim eſt* MENTE CONNECTI, QUAM CORPORE COPULARI. Inexpugnabili proinde faſcino Mens illigatur, quæ Avorum ſuorum atria cogitatione reviſit. *Lib. 2. contra Symmach. T. 9. 21*

37. Atque hâc ſanctiſſimi Doctoris denunciatione ad alterã inſtitutæ Diſputationis partem deducti ſumus. *Qui non odit Patrem ſuum, & Matrem, non poteſt meus eſſe Diſcipulus.* Equidem quid Chriſtum impulerit, ut è Sectatorum ſuorum pectoribus tam ſeverè fibras omnes innati adverſùs propinquos amoris revelleret, nec ingenij mei eſt inveſtigare, nec demonſtrare facultatis meæ. At enim non deeſt obſequium, quo Naturæ conditorem reverear, ea, quæ caro & ſanguis conjunxit, virtute dividentem. Quare

submisso vultu ad sidera vocem extollo:
Rom. 11. 33. *O altitudo divitiarum Sapientiæ & scientiæ Dei!* Sanè nos Pater æternus tenacissimis vinculis progenitoribus nostris per tot annos adstringit: atque hos tam suaves nodos coævus illi Filius tã severo edicto dissolvit, ut ijs, qui nos genuêre, nec vivis memoriam, nec functis tumuli honorem
Luc. 9. 60: impendere liceat. *Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos. Obliviscere populum tuum, & domum Patris tui.* Quis verò capere possit, eadem vincula hinc quidem tenacissimis nodis à Deo adstringi, & inexorabili sententiâ à Dei filio rescindi? At enim, quod ego non assequor, mirabili ingenio, summáque felicitate assecutus est Hieronymus. Heu me, inquit Senex doctissimus, quin omnem tam noxiæ stirpis fibram revellitis, quemadmodum enim nullum erat foliũm Apocalypticæ Arboris illius, quod non esset *ad sanitatem Gen-*
Apoc. 22. 2. *tium*: ità frondes omnes stirpis paternæ, sint licèt tenuissimæ, aridæ, exsuccæ, ad imponendas lethales plagas, monstrosósque abortus proferendos exitialem vim ha-

habent. MULTA NOS FACERE COGIT AFFECTUS: *& dum propinquitatem respicimus corporum*, CORPORIS ET ANIMÆ OFFENDIMUS CREATOREM. Quem non exanimet adeò formidabilis sententia? Haud equidem stimulos, inquit Hieronymus, & calcaria nobis iste in propinquos amor subjicit, ut apertâ defectione à Deo transfugiamus, sed manum injicit, & violenter à Conditore abductos in Servatoris contumeliam armat, nec simplici scelere, unáque tantùm perfidiâ notare nos satìs habet, sed toto malorum pelago, & interminato littoribus criminum Oceano mergit vel invitos. *Multa, multa nos facere cogit affectus.* Et pati forsan possemus, si turbulentissimis hisce fluctibus unus duntaxat vel alter Jonas sorberetur. Atqui eorum innumerabilis multitudo est, quos ejusmodi vortices hausère: neque illos vel de plebe homines, præceptionum divinarum rudes, vel Clericos rerum cœlestium inexpertos. Naufragium quinimò in rapidissimis ejusmodi pro-

Ep. 128. Fabiola. To. 17. 322.

cellis, adiêre, atque utinam non hodiéq; adirent primi quique Anachoretarum Duces, & nobilissimi Religiosorum Ordinum Antesignani! QUANTI MONACHORUM, prosequitur Hieronymus, *dum Patris*, *Matrísque* MISERENTUR, SUAS ANIMAS PERDIDERUNT! Quis hîc, rogo, quis vultu, quis animo sibi constet: quis, cùm talium ruinarum sonum excipiat, & stellas cœlo refigi, præcipitésque in lutum ruere videat, nō exanimis prolabatur? QUANTI MONACHORUM *suas animas perdiderunt*? Nimiùm heu! nimiùm exacuta illius gladij acies est, quem nobis nostra in parentes pietas, & in propinquos charitas imprimit, támque virulento cruore imbuta, ut vel durissimos Adamantes pervadat, intimáque eorum pectora rimetur, qui cum Apostolo Paulo Fidei Scutum, & Votorum Loricam objiciunt. *Dum Patris*, *Matrísque miserentur*, *suas animas perdiderunt*. Atque hi non nostri ævi, sed ejus, quo vixit Hieronymus, ætatis Monachi erant, Viri nempe corpo-

ris quodammodo expertes, qui noctem Psalmis, diem laboribus extrahebant, quibus pro cervicali silex erat, oryza pro dapibus, scopulus pro domo, pro contubernalibus feræ, vita demum omnis inusitatæ austeritatis prodigium, corpúsque ab omni terrena fæce absolutum videbatur. Et tamen *Quanti Monachorum suas animas perdiderunt!*

38. At enim minùs me ista moverent, si quæ S. Doctor litteris consignavit, consignâsset duntaxat, nec argumentis confirmâsset. Verùm enimverò post omina, rationes attulit, & Rustico, Viro patricio, & nuper è Capitolio in solitarios scopulos, ut procul à turba soli deinceps Christo viveret, transgresso, memorabilem super ea re Historiam perscripsit. Age, inquit, & cum Anachoretis, sylvæ incolis, colloquia misce, in quibus videlicet severissimæ virtutis forma, & species quædam Martyrij relucet; verùm etiam atque etiam considera, utrum in tanto, támque rigido vitæ tenore, & an cineribus illis ulla privati erga propinquos amo-

ris scintilla intermicet: quippe ubi aliqua fulserit, jam tu Eclipses ac tenebras expecta, quales pendente è Cruce Christo Calvarium Montem obsederunt. Haud equidem temerè ac fortuitò ista moneo, neque vaticiniorum involucris, sed rerum gestarum fide terrorem meum adstruo. Menses sunt, (nec enim è retroactis seculis advocare exempla necesse est) menses, inquam, sunt, cùm nos Anachoretæ cujuspiam mors exanimavit. Is cùm asperitate vestis, speluncæ angustijs, squalore vultûs, famam sibi sanctitatis comparâsset, omnes omnium oculos loculósque ad se traxit, copiosámque stipem, quam scilicet in egenos, pupillósque divideret, ex omni ea provincia collegit. Verùm tantùm abfuit, ut, Evangelicam illam viduā imitatus, vel duos solùm teruncios egentibus erogaret, ut pecuniam omnem in antrum suum conferret, eámque consanguineis suis testamento legaret, qui cùm nuper Iro omni essent egentiores, & de infima plebe homines, ab infelicis Anachoretæ funere, novi repentè Crœsi, ad

ad invidendam maximis Principibus fortunam, assurrexêre. Ne verò quis putet hæcà me magnificentiùs fortè, quàm veriùs, dici, reddam fideliter Hieronymi verba, nullâ ne quidem syllabâ immutatâ. *Vidimus nuper*, *&* PLANXIMUS CROESI OPES, UNIUS MORTE DEPREHENSAS, *Vrbísque stipes*, *quasi in usus pauperum congregatas*, STIRPI ET POSTERIS DERELICTAS. *Tunc ferrum*, *quod latebat in profundo*, *supernatavit aquæ*, *& inter palmarum arbores*, *myrrhæ amaritudo monstrata est*. Sinite me, palpitantis animi curas inter vos, ô mea viscera, dividere. Quis est, inquam, qui victoriam sibi promittat ex eo genere prælij, quo Gigantes, ijque non Arcæ hostes, sed Propugnatores prosternuntur: succumbúntque ij quoque, qui Christo se, res, spésque omnes devoverunt? sanè si Anachoreta clarissimus quispiam tam procul à patria propinquísque suis positus, tam fœdum facinus admisit, mortémque oppetijt tot sacrilegiorum & inauditi peculatûs conscius, nec pœnitens; ut pro-

Ep. 4. ad Rustic. To. 17. 24.

pinquos loco, professione, ac vivendi consuetudine penitus diversos, ad opes & honores eveheret: quâ ratione vereri ego non debeam, ne, dum necessariorum nostrorum vel domos frequentamus, vel cōmodis studemus, in illorum bitumine, ceu visco, hæreamus impliciti, & ne, quando ipsi quoque Nazaræi, qui modò candidissimis illibatæ vitæ stolis amicti Tabernaculo votivam servitutem serviunt, purissimas professionis sanctissimæ nives inficiant, vel laboribus eo, quo versantur, loco indignis, vel studijs ab Apostolico vivendi genere alienis? Atqui unus ille inventus est, qui pietatis sacrarium, Cellam, inquam, suam, in speluæum latronum converteret, & fortè facinoris atrocitas ad absterrendum potiùs, quàm ad alliciendum, valere possit. At verò, qui Monachorum turbam audit, cognati sanguinis amore, mollíque in suos indulgentiâ fascinatam, parentum inopiæ sublevandæ causâ cum Cacodæmone conjurâsse, quomodo se vel à periculo tutum, vel immunem ab interitu existimabit, si propinquo-

quorum suorum cupiditatibus favet, & fortunis exaugendis industriam suam locat? Quidni ergo metu concutimur, ne animos nostros invadat affectio ejusmodi, quæ expugnatas Anachoretarum solitudines triumpho traducit, stylitas dejicit, & inexplicabilibus labyrinthis implicat, nobili transfugio ex Aegypto in terram sanctam transgressos. MULTA *facere* COGIT AFFECTUS. QUANTI MONACHORUM *suas animas perdiderunt.*

39. Id quod non solùm Hieronymus aliquis deploravit, sed Idolorum quoque Cultor prævidit, qui Venatorum, feras metuentium, arma salsè deridens, nihil esse his opus monet, quando vel ferocissimæ Tigres, Leopardi, Leonésque immitissimi, atque immanissimi Elephanti, vel ipsis muralibus machinis, nedum militum hastis inexpugnabiles, ultrò se in plagas induunt, expositâ vel inermibus prædâ, si modò hi subreptos eorum fœtus in insidijs collocâssent, furentésque hâc escâ illexissent. CATULORUM AMOR

in venabula impingit FERAS, *quas feritas & inconſultus impetus præſtat indomitas.* Nempe reperies aliquos, qui nullo faſtu, nullis delicijs, aut vitæ commodis fracti, uni in ſtirpem ſuam amori turpiter ſuccumbant: &, cùm omnes Inferorum aſſultus invicti ſuſtineant, ne molliſſimũ quidem, quem cognata manus impreſſerit, impulſum perferant, quin præſcriptas ab Inſtituto ſuo leges convellant, & aliquando ne divina quidem Jura revereantur. Sed enim *Catulorum Amor* nihil non efficit, & ferociſſimas quaſque belluas, quarum rugitu ipſa quoque arcium propugnacula intremiſcunt, pueris ad ludibrium objicit. *Quas feritas præſtat indomitas.* Ab Anachoretarum ſpecubus, ad arenas & amphitheatra gradum facio, licèt inde me retrahat corporum, Chriſti causâ laniatorum, veneratio, & patrimoniorum, Cæſarum aviditati expoſitorum, religio. Vidit Eccleſia, vidit, inquam, Heroum ſuorum aliquem, poſtremæ, quæ à filijs ſuis in ſubterraneis cryptis agebatur, ætatis, poſt flagra, poſt equuleos,

can-

candentes laminas, ardentes rogos, & sexcenta exquisitissimæ crudelitatis tormenta, cùm jam Cœlum triumphaturo pateret, palmásque laureámque Victori porrigeret, conspectis prolis suæ lachrymis fractum, inducias cum tortoribus paciſci, & depositum ex equuleo, SS. Triadem ejurare, Saturno thus adolere, devovere, quô lustratus erat, Baptismi fontem, salutem projicere, æternum sibi exitium advocare, denique, ne lachrymantem filium videre cogeretur, ipsam Cœlitum lætitiam, quantùm in ipso erat, in mœrorem, confusionémque convertere. Audiamus Ambrosium, oculatum, ùt ipse fatetur, funestissimæ Catastrophes testem. SÆPE COGNOVIMUS, *Ser. 15. in Ps. 118. To. 4. 89.* inquit, *quoniam, quem formidolosa carnificum pompa non terruit, nec divisi lateris sulcus infregit, nec ardentes laminæ à triumphalis fortitudinis rigore abducere potuerunt, eum inter sacra jam præmia constitutum,* UXOR, TENERÆ SOBOLIS OBLATIONE, *miserabilis, unius lachrymæ miseratione* DECEPIT. Quis non totis artubus

con-

contremiſcat, non quovis ſaxo frigidior ſtupidiórque jaceat, dum longè fœdiſſimam rerum converſionem intelligit, & nobile martyrium in manifeſtam defectionem permutatum deprehendit. Proh callidum ac veteratorium Henrici Regis ingenium! cùm Thomæ Epiſcopo, & paulò poſt Martyri, poſt opes, honores, patriam ademptam, conſanguineorum egeſtatem, gentíſque illuviem ſuæ, ſpectandam in Exilio dedit; ratus, invicti Præſulis conſtantiam, quæ quovis Adamante durior, irati ſceptri formidabiles ictus repercuſſerat, afflictæ lachrymantíſque familiæ mollitie labefactandã eſſe. Verùm eas omnes machinas, noxioſiſſimæque fraudis potentiſſima inſtrumenta, quâ tot aliorum Chriſti pugilum expugnata conſtantia fuerat, invicti Exulis Virtus, & potior in Deum pietas, diſcuſſit. Heu quàm violenta cognati ſanguinis lenocinia ſunt! Sirenum ejuſmodi quæſtus, ipſos quoque, qui ſe Crucis Arbori tenaciſſimis vinculis adſtrinxerunt, emollient. Ceſſent proinde divinæ Litteræ ad

extol-

extollendam Iſraëlis Dei gloriam poſthac Erythræum mare oſtentare, quòd Ægyptijs tumulum, Patriarchis viam præſtet; quando nos in pauculis plorantis infantuli lachrymis ſubmerſum Cœlum, &, ſi licet ità dicere, hauſtam naufragio Dei Immenſitatem, contra vero Idolorum cultui complanatum iter, & ad poſſidendum tantùm non Martyris Corpus reſeratum Dæmonibus tranſitum lugemus. *Inter ſacra jam præmia* CONSTITUTUM, *Vxor, teneræ ſobolis oblatione*, UNIUS LACRYMÆ MISERATIONE DECEPIT. Et ô felices vos, ſi unus modò Chriſtianus repertus foret, qui tam deſperato caſu prolapſus eſſet, ut à cœleſtis gloriæ laurea, jam pæne prehenſa, ad Idololatriam revolvi, & Dæmonis Tyrrannidi ſubdi ſe poſtliminiò pateretur! Verùm primæ duæ voces, quibus S. Doctor orationem ſuam inchoat, teſtatúrq; ſexcentis Fidelium hoc familiæ ſuæ ſtudium impoſuiſſe, & Religionis profeſſionem à lingua, virtutem ab animo, coronam à vertice ſuſtuliſſe, quieſcere me non ſi-

ſinunt. SÆPE, inquit, *cognovimus.* Omnis alia vis retundi poteſt, ſed amoris, quo in propinquos ferimur, impetus, vel ipſis Levitarum Tubis violentior eſt: ac proinde, ùt iſtæ Jerichuntem ſono proſtraverunt, ſic ille plorantium gemitu Hieroſolymas evertit. Ipſum quoque Adamum novimus, licèt nativâ Gratiâ obarmatus, oppugnandi ſui audaciam Dæmoni ademiſſet, in deteſtabilis perfidiæ barathrum iviſſe præcipitem, impulſum videlicet ab uxore, unius duntaxat voculæ illecebrâ, & ſimplici guſtu pomi. *Itaque Fœmina Virum*, QUEM SERPENS
Ibid. TENTARE NON AUSUS EST, CIBO ORIS ET VI AMORIS *inflexum, molli quâdam affectione* TRADUXIT. Quòd ſi ergo, nec ſinè lachrymis, fatendum eſt, eum hominem, quem ſuis ipſe manibus Deus formaverat, & divinæ Gratiæ radijs coronatum produxerat, tantam cladem accepiſſe, licèt nulla eſſet in Conjuge doloris, atque adeò miſerationis materia, & uterque elementorum, animantium, totius demum terrarum Orbis im-

imperio polleret, conjiciat unusquisque veſtrûm, quâ conſtantiâ ipſi parentum affiniúmque importunas preces rejecturi ſimus, ſi quando rei familiaris anguſtias queſti, ad ampliores fortunas viam commonſtrent, nóſque familiæ columen, gentíſque Inſtauratores amplificatoréſque inclament? *Ah, ah, ah neſcio loqui* in re tam *Ierem. 1.6.* ancipiti, & quæ, remotâ omni turpitudinis notâ, quâ cætera vitia laborant, inſidijs ſuis ſpecioſum pietatis titulum prætexit, nec aliud nobis, quàm quod Natura docet, & humanæ Leges jubent, perſuadere contendit. Ego certè decem illis annis, quibus hanc Domum rexi, vix ullum vidi, qui aliâ Tyrannide ſubactus ab Aratro manum removeret, & oculos animúmque eò, unde venerat, referret, quàm iſto in conſanguineos ſuos ſtudio victus.

40. Quod verò de Tyronibus pronuncio, Veteranis itidem inculco. Nemo transactorum in obſequio Chriſti annorum fiduciâ ſibi blandiatur, non obtentis adverſùs vitia victorijs, aut partæ virtutis gloriâ ſe jactet, quando Affectionis hu-

jus

jus præstigiæ Justos circumveniunt, & sanctos de gradu dejiciunt. Equidem Jonathæ bona mens, vitæ integritas, pietas in Deum, charitas in Davidem, minimè defuit. Jacuit ille nihilominus in Gelboa profanorum hostium gladijs transfossus. Eam videlicet ob causam, veluti Petrus Damiani existimat, quòd infelix Princeps, Patris sui vitia patientiùs, quàm par erat, tulisset, quorum cùm Censorem objurgatorémque se non præstitisset, reum se fecit, haud quidem atrocitate culpæ, sed acerbitate tamen supplicij. *Ionathas, cùm in Deum pius, & sancto Prophetæ esset amicus*, PROPTER PATERNÆ TAMEN SUPERBIÆ FASTUM, *gladio subjacuit impiorum.* At hoc parùm est ad Patriarcharũ in suos indulgentiam, cùm vel ipsi Abrahami atque Isaaci, quâlibet scythicâ nive frigidiores essent, in summo peccantium filiorum ardore. Tartarea Ismaëlis machinamenta, qui veritus haud esset Idola sub sacratissimo tentorio fabricare, Abrahamo Sara exposuerat: gravissimísque verbis hortata virum erat;

Ser. 24. de S. Alex. To. 14. 146.

ne dubitaret, tanti ſceleris architectum domo expellere, futurum alioquin, ut damnatæ ſuperſtitionis contagione Iſaacum quoque, cœleſti oraculo promiſſam ſtirpem, corrumperet, & Numinis, à quo tantis beneficijs ornati eſſent, tot támque gravibus injurijs appetiti, vindictam in omnem familiam provocaret. Excepit accuſationem, manifeſtiſſimis indicijs comprobatam, magnus ille Paterfamilias, tantúmque abfuit, ut, pro rei dignitate commotus, Ægyptiæ ancillæ filium caſtigârit, ut ſceleſtiſſimi Vernæ impietatem elevandi conſilium cœperit. *Ejice ancillam hanc, & filium ejus*: inquiebat illa. Sed enim DURE ACCEPIT *hoc* ABRAHAM PRO FILIO SUO. Adeóque in defenſione impiæ ſobolis animum obſtinârat, ut, niſi videndum ſe coràm Deus præbuiſſet, palámque exilium noxio indixiſſet, ſimulachra Iſmaël fingere perrexiſſet. CUI DIXIT DEUS: *omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus.* Itáne verò ille quoque, qui alterum è filijs Obedientiæ facere Victimam potuit, idem

idem alterius ſacrilegia, per ignavam mollémque in ſanguinem ſuum indulgentiam, diſſimulare ſuſtinuit? Ite jam ác me falſum opinione meâ proclamate, cùm dicerem, ſolâ cognati ſanguinis perſuaſione induci mortales ad ſubeunda, quantumvis fœda, dedecora, qualia ſunt: ſcelera impunita relinquere, & inviſam ſuperis impietatem diſſimulatione transmittere: ſiquidem eam ob cauſam Jonathas commonere Patrem, & Abrahamus caſtigare filium ſuperſedit. Quis Iſaaco, exclamat Chryſoſtomus, juſtior ſanctiórque, parato mori, ut parentis ſomnio fidem adſtrueret? Hæc ipſa tamen Chriſti, in Monte occiſi, germana effigies, licèt tot tantáque Eſaui flagitia comperta haberet, quamvis ſciret immorigerum & contumacem Matri, patriarum Legum contemptorem, Chananæarum mulierum maritum, Natalium prærogativam abligurivisse, fratrem hoſtili odio inſectari, à ſacrificiis alienum, ſolis venationibus delectari, denique Epicureorum ſectam tantò antè auſpicari, huic

ta-

tamen Gentis imperium destinavit, & electi à Deo populi parentem esse, atque è tam scelesti hominis stirpe nasci Dei filium voluit. *Fac mihi pulmentum, ut comedam,* ET BENEDICAT TIBI ANIMA MEA, *antequam moriar.* Quô Patriarchæ factô, & Amoris depravatione, attonitus Joannes Chrysostomus exclamat: *Esau nónne sancti Isaac erat filius,* MAGNO PATRIS FAVORE MUNITUS? Et hîc quoque necesse fuit Deum geminare prodigia, & interpositâ æquitatis suæ potentiâ paterni amoris fascinum expugnare. Nempe ut Patris optimi in pessimum filium studia interverteret, stuporem, seni, cæterà perspicacissimo, immisit, & mutuatæ vestis, assuti capillamenti, artificiosæ dapis, arcessitæ fragrantiæ, innocentibus dolis, circumvento, necessitatem imposuit, ut majorem filium, cui favebat immeritò, minoris imperio subjiceret. *Iuxta naturæ ordinem prior,* ET DE PATRIS VOLUNTATE SECURIOR, *quia tamen displicebat Deo, omnia, quæ jam tenere videbatur,* AMISIT.

Gen. 27. v. 4.

Hom. 9. in Matth. To. 25. 170.

 Plu-

Pluribus affectionem ejusmodi, quæ veneno suo Animos inficit, & sanctissimos quosque contaminat, insectari, ejúsque tum fœditatem, tum supplicia demonstrare, per tempus non licet. Itaq; Orationi finem imponet ejus supplicij commemoratio, quod de summo Synagogæ Pontifice, ob immodicam in scelestos filios indulgentiam, Judice Cœlo, in oppido Silunthis sumptum legimus. Intellexerat Sacerdos infelix, quibus injurijs Tabernaculum profanaretur, quibus Holocausta rapinis fraudarentur, quâ Ministrorũ lasciviâ sacrarium pollueretur, quâ contumeliâ Deus afficeretur, quæ sibi suísq; supplicia imminerent. Cùm nihil horum ignoraret, præ tanta tamen sacrificiorum contaminatione, religionis contemptu, cultûs divini neglectu, morum corruptelâ, libidinum & Sacrilegiorum colluvie, plus apud eum sobolis suæ amor potuit; maluítque Princeps ignavus domi suæ Dei cultum venerationémque obsolescere, quàm impijs ministris, justissimũ licèt, ruborem suffundi. Quô factum est, ut tan-

tâ tot libidinum rapinarúmque impunitate offensus Deus, dissimulationem Patris, & licentiam filiorum, inhonesto mortis genere vindicandam duxerit. Igitur Arcam ab hostibus capi, fundi exercitum, & in ea strage Ophni & Phineen occumbere passus est. Heli subinde, tum publicæ tum privatæ calamitatis sensu ict⁹, ac præcipuè propriæ ignaviæ consciëntiâ perturbatus, revoluto in præceps corpore corruit, aspersísque cerebro suo postibus, excessit è vita, incertum, quæ sors proscriptam ab Orbe mentem exceperit. *Cecidit de Sella retrorsum juxta ostium, & fractis cervicibus mortuus est.* 1. Reg. 4. 18. Mollis illa & effeminata Indulgentia, quæ familiæ sacerdotalis gravitatem infregit, & Pontificiæ dignitatis majestatem inobscuravit, ipsum laceri cadaveris sepulchrum dehonestavit, inscriptis marmori vocibus ijs, quas Deus ad immortalem infamiam, hujus in cognatum sanguinem impotentis studij, consignavit. MAGIS HONORASTI FILIOS TUOS, QUAM ME. 1. Reg. 2. 29. Nec sinat unquam æterna Numinis Sapien-

entia, ut ſervorum ſuorum tumbæ, tam funeſtâ Epigraphe, notentur. Et certè vel ſola ſuſpicio, poſſe in aliquem filiorum meorum tàm fœdæ turpitudinis maculam cadere, me ad mortem adigeret. Et tamen inevitabile hoc fulmen foret, ſi Conſtitutionum noſtrarum, ſi Eccleſiaſticarum legum obliti, & divinis imperijs contumaces, eos diligeremus, à quibus ſanƈto quodam odij genere diſſidere debemus; cúmque è memoria delere nos oporteat vel ipſum familiæ gentíſque noſtræ nomẽ, mentem interim conſanguineorum ſtudijs occupari, diſtrahíque pateremur, vel eorum luxui alimenta miniſtrando, vel inopiam, aliáque incommoda, quibus Deus eorum virtutem experitur, eô conſiliô, ut hujus exilij malis exercitos, æternis in patria præmijs remuneretur, præpoſterâ miſeratione proſequendo. MAGIS HONORASTI FILIOS TUOS, QUAM ME. At enim nunquam veniet tam funeſta dies, ut id de Ignatij filijs dicatur, utique, qui Evangelici ediƈti à Chriſto propoſiti, & à vobis intelleƈti,

cti, religioſiſſimam Obedientiam profitentur, quíque alteram argumenti partem jam exponi poſtulant: ecquis ſcilicet in ſacroſancti hujus in conſanguineos Odij exercitatione modus ac ratio teneri poſſit ac debeat, nempe quod illis cœleſtia præſidia parare, ipſis verò immortales coronas parere conſuevit. Quod dum in aliud tempus rejicimus, ea, quæ dicta ſunt, teneamus.

EXHORTATIO XL.

Feriâ VI. post Domin. Sexages.

Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. *Luc. 8.*

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. *Ioh. 12.*

MORTIFICATIO *perturbationum nostrarum infructuosa est, nisi eas illa penitus exstirpet, & mortis instar extinguat. Iam verò cupiditatum nostrarum felicissima Mors, in commune quidem omnibus longè utilissima est, sed Novis Societatis Alumnis summè necessaria. Frustra verò tantum bonum speraverint tum Tyrones*

no-

nostri tum Scholastici, nisi Præsidum suorum ductui se totos permiserint, mentésque suas expurgare omni studio per se ipsi contenderint. Quælibet Veteranorum actio, non ex virtute patrata, exemplo suo pestem Iunioribus afflat. Hi porrò si latum ungem è cœpto virtutis itinere deflectant, in funestos exitus impetum capiunt, nec priùs exerrare desistunt, quàm à vocatione penitus excidant. Quare qui vivere Christo cupit, sibi moriatur oportet, nec à sanctissimo mortis hujus genere se sinat ab ullo excitari, quippe si è sepulchro redivivus prodeat, tanquam monstrosus quispiam Lazarus convivia inibit.

41. OCtavus hodie dies illuxit, ex quo Provinciæ hujus moderator, abſolutâ cum ingenti animi ſui lætitia, Domûs hujus, animorúmque veſtrorum Inſpectione, cum fauſta vos apprecatione dimiſit, gemino eóque maximò ſolatio impertitos, tum promulgatâ pro more ſummorum Pontificum Indulgentiâ, tum expoſitâ eâ felicitate, quam univerſi Vocationis veſtræ beneficio adepti eſſetis. Uſus ad eam rem anniverſariâ feſtáque S. Romualdi memoriâ, centuplicatam mercedem, æternǽque gloriæ præmia, â Chriſto in Evangelio promiſſa, Sectatoribus ſuis, vobis quoque Chriſti nomine promiſit, adductis in medium ijs, quæ de felici in Societate morientium conditione, tum Magdalena Florentina, tum Thereſia Hiſpana Virgo, cœleſti oraculo didicêre. Et verò ſanctiſſimarum earum mentium auctoritate fultus, certũ vobis quodammodo pignus exhibebat, fore,ut à Jeſu domo,ad Dei regiam tranſiretis, cum Apoſtolis ſeſſuri Judices Orbis

bis terrarum, hoc eſt opum, voluptatum, honorum contemptorum præmium, ejúſque vitæ generis, quod aliud denique non eſt, quàm perpetua quædam pro Chriſto in Calvario monte morientium mors, ampliſſimam mercedem accepturi. *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Et ut omnem illius orationem in compendium mittam, id ille unicuique veſtrum dixit, quod hodie Chriſtus: *Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum contuplum.* Quin igitur, tanti beneficij magnitudine commoti exclamamus univerſi: *Miſericordias Domini in æternum cantabo*: ſiquidem tot alios mortales, vel ſimiles nobis, vel etiam meliores intueamur, quos æterna Providentia in terra deſtituit, vel pertinaciæ lapidibus conſtrata, vel ambitionis profanorúmque negotiorum ſpinis impedita, vel denique vicinos ei, quæ ad æternam perniciem ducit, viæ, in quam, qui incidit, interit, quando vix ullus improborum conſiliorum præſtigias, & pravi exempli inſidias, vitat. Atque utinam mo-

Pſ. 88. 2.

modò liceret mihi reſerare vobis cœlum, oculóſque veſtros ad intuendos Thronos, qui vos manent, & contemplandas Angelorum, qui vos expectant, cohortes deducere. Sanè vos eſtis, qui à Deo, fœcundiſſimo Religioſi ordinis agro inſiti, tam copioſam promeritorum meſſem in Domini horrea inferetis, ut Ægyptia illa ſub Joſepho ubertas, veſtræ comparata, extrema ſterilitas, faméſque ſæviſſima videri poſſit. *Et ortum fecit* FRUCTUM CENTUPLUM. *Centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis.* At enim tam beata prodigioſáque ubertas ſperari nequit, niſi feracitati glebæ induſtria frumenti reſponderit. Equidem in feliciſſimam frugum copiam ſuccreſcemus, ſi in excolenda ſemente nos ſtrenuos laborioſóſq; præſtiterimus. Nempe qui plenas nobis uberéſque ſpicas promittit, is emori nos penitus affectionibus noſtris jubet. *Niſi Granum frumenti cadens in terram* MORTUUM *fuerit, ipſum ſolum manet.* Res, inquit, geretis maximas, & ad nominis mei Gloriam illuſtres, poſtquam in

Agri

Agri mei ſulcos conjecti, non tam efficiemini vobis viles, quàm nulli. *Cadens in terram* MORTUUM *fuerit.* Certè hanc provinciam noſtram eſſe Societas voluit, toto illo quatuor annorum ſpatio, quô eâ nos, veluti conſepultos, per primum Tyrocinij, alterúmque ſtudiorum biennium, à publico & communi conſuetudine ſemovit. Atque has ego geminas Sodalium noſtrorum Claſſes hodie alloqui conſtitui: & ijs quidem, qui nuper in Chriſti familiam tranſiêrunt, auctor ero: ut cupiditatibus, opinionibúſque ſeculi univerſis mori non dubitent, futuri ſcilicet inſtar Evangelici frumenti, tantóque uberiorem quondam Eccleſiæ fructum allaturi, quantò illi depreſſiores, obſcurioréſque modò fuerint, & nec latere, nec interire moleſtè tulerint. Eapropter in tria capita orationẽ partiemur. Et primùm quidem Apoſtolicæ hujus mortis neceſſitatem; tum ejus aſſequendæ modum; denique non immoriendum modò huic morti, verùm etiam immorandum eſſe demonſtrabimus. BEATI

MOR-

Apoc. 14.13. MORTUI, *qui in Domino moriuntur.*
Colos. 3. 3. MORTUI ENIM ESTIS, *& Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Nisi Granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.*

42. Religiosæ Vitæ perfectionem consequi nullâ ratione potest, nisi qui, prorsus sibi mortuus, totum se ad Evangelicæ vitæ normam aptaverit, ut dicere cum Paulo & ipse possit: *Vivo ego, jam non*
Galat. 2.20. *ego,* VIVIT *verò* IN ME CHRISTUS. Nemo pedem Virtutis sacrario infert, nisi à seculo penitus sese abstraxerit, atque omnium eorum, quæ Mundus sentit, colit, in pretio habet, semel oblit⁹, nunquam non obliviscatur. Id scilicet denunciavit Augustinus Academicis, qui fateri non dubitabant, non percipi à se neque Mysteria Divinitatis, neque Philosophiæ Christianæ Sacramenta, quæ scilicet à propensionibus hominum, & Gentium consuetudine plurimùm abhorrerent. Equidem certissima sunt, inquit, effata Evangelicæ Doctrinæ, sed enim intelligi non possunt, nisi penitus te illi consecra-

veris. *Ipſum verum non videbis, niſi in Philoſophiam* TOTUS INTRAVERIS. *Lib. cont. Acad. To. 86.34.*
Spem proinde omittat omnem, futurum unquam, ut in æterna cœleſtiáque mens defigatur, niſi caducis, vanis, periturı́ſq; rebus ità clauſus fuerit oculus, ut eas nunquam impoſterum vel aſpectu, vel æſtimatione dignetur. *Niſi in Philoſophiam* TOTUS *intraveris.* Habet Religioſa Sanctitas quiddam cum Indico mari commune, cui niſi quis ſe immergat, nihil præter viliſſimam algam reperit: contrà, qui altum ſubit, penitúſque rimatur, is demum Corallia, Uniones, theſauros, eruit. Atque utinam reperire paucos ſit, qui Chriſti Oceano ſuberis inſtar aut ſtipulæ innatant, alijs interim, ceu graviſſimis ex auro globis, conſiliorum Evangelicorum profunda petentibus. Miſerum enimverò te, quiſquis ex illis es! quippe quem, velut avulſam è navi tabulam, quælibet aura circumaget, nulla non tempeſtas jactabit: haud alio exitu, quàm ut, in littus ejecta, vel computreſcat, vel ardeat. Aut agite, quod agitis, & intimos virtu-
tis

tis recessus scrutamini, aut ad subeunda ea damna vos comparate, quæ nunquam is vitaverit, qui Sanctos inter non sanctè vivit. Tonantem Ephremum audite, gravissimum vitæ solitariæ Præceptorem:
De Pœnit. *Ergo si quis non firmiter ad Pœnitentiam accesserit*, LIGNUM EXISTIT. Nempe paleæ fœníque ritu supernatantem te implacabilis Judex flammis addicet. *Paleas*
Luc. 3. 17. *autem comburet igni inexstinguibili.* Cujus supplicij eam esse causam, modò laudatus Anachoreta, confirmat, quòd ab homine, perturbationibus suis obnoxio, ingens in eos, qui ad Religiosæ Vitæ genus se conferunt, pernicies derivetur. Eos enim dum recentes Hospites intuentur, facilè in eam persuasionem adducentur, vel in Calvario procul à Cruce degi posse, ac citra affectionum cupiditatúmque carnificinam, & Voluntatis geniíque internecionem, quam Cœnobiarcharum rigidus sermo exaggerat, Apostolatum posse consistere. Sed totam aliquando Ephremi orationem reddamus, & tonitruis fulmina miscentem audiamus. *Si quis,*

in-

inquit, *non firmiter ad Pœnitentiam accesserit*, LIGNUM *existit. Non solùm abjicitur talis*, SED *etiam* COMBURITUR. *Quid ita?* QUIA ET MULTOS IMPEDIVIT, *& Deum illudere cogitavit.* Igitur nisi prorsus & ex animo mortuus sis tibi, ut deinceps Deo vivas, meditatam Tyronum mortem frustraris, tuóque frigore sancti Spiritûs flammas restinguis, quâ succensi illi Parentes, spes résque omnes deseruerunt, cruenta Servatoris vestigia per opprobria, cruciatus, Crucem, mortem denique secuturi. MULTOS *impedivit, & Deum illudere cogitavit.* Jonam imitemur potiùs, qui, pretiosioris instar metalli, cùm ad ima pelagi descendisset, imperitorum Magister, & futurorum Vates evasit. *In profundo maris* (verba sunt Hieronymi) *ea in ventre tantæ Bestiæ* PHILOSOPHATUR. Donec infelix undis eminebat, & turpiter obdormiijt, & turpiùs fugit. Vix aquam subiijt, cùm effectus est Sanctus. VIGILAT IN CETO, *qui stertebat in navi*: ingeniosè dictum à Zenone. Postquam mor-

Comm. in c. 2. Ion. To. 21. 108.

Ser. de Iona To. 13. 161.

mortuo non absimilis Elementa Sole collustrata deseruit, oculos intuendis divinitatis arcanis aperire cæpit, errores deflevit suos, animúmque ad sumendam de superstitione vindictam obarmavit; prodijt ex undis, ut pice sulphuréque squalentemNinivem civium suorũ lacrymis elueret. Idque præstitit tam feliciter, ut urbem illam, omnis intemperantiæ lustrum, in Pœnitentiæ asylum exemplúmque, brevissimâ oratione, reformârit. *In profundo maris philosophatur.* Exeat hinc, procúlque abeat, si quis fortè undis ità superstat, ut partim aspersus, partim siccus, gravitatis religiosæ, mæstitiæ, desidis vitæ otium, Favoniósque conjungat, atque adeò nec Religiosus, nec profanus, sibi quidem Apostolicæ vitæ præmia, sed & Sodalibus eripiat. *Comburitur, quia* MULTOS *impedivit.*

43. Neque sit inter eos, qui nuper huc accessêre, qui sibi, ob exteriorẽ perfectæ vitæ speciem, placeat; quippe nisi aspectabilẽ illam religiosæ Disciplinæ formam, interius

rius & inaſpectum naufragium, quô cupiditates conſiliáque omnia, quæ terram olent, ſubmerguntur, anteverterit, næ vanus ille ſimulatæ Virtutis apparatus, larvatum Aſcetam, Dæmonis fraudibus illudendum, exponet, triſtiſſimóque metu mentes Rectorum ſuſpendet, inevitabiles eorum ruinas prævidentium, qui, ut vivant, non prorſus atque ex animo, emoriuntur. Hæc certè fallacia, quam lugemus, nonnullis è Claravallenſi celeberrimæ Sanctitatis Cœnobio Monachis impoſuerat: eóſque Bernardus longè ferebat impatientiùs, quàm quos palàm in Diſciplinam peccare animadvertebat. Proh veſanam, inquiebat Abbas ſanctiſſimus, iſtorum audaciam, qui, contempto Apoſtoli monito, novum ſe hominem induere poſſe confidunt, veteri nondum exuto. Hoc genus monſtri tum Præſidum curas exaggerat, tum contubernalium animos faſcinat. Quare vel audiant Paulum clamantem, ſerióque hortantem: *Exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum eum,* *Coloſ. 3. 9.*

qui renovatur. Vel certè de capite cucullum Benedicti diripiant, resumptísque, quas huc attulerunt, vestibus, Babylonem postliminio revertantur, theatrales iterum ludos spectaturi. Tunicæ namq; Ciliciíque asperitate pravas cupiditates, quas non damnârunt, degeneres animi tegunt, tantúmque abest, ut in ea, quam profitentur, vitæ novitate promoveant, ut veterem vanitatem, quam non abjecerunt, mordicus retineant. HUMILIS HABITUS, *qui gestatur à talibus*, NON SANCTÆ NOVITATIS EST MERITUM, SED PRISCÆ VETUSTATIS OPERCULUM. *Veterem hominem non exuerunt*, SED NOVO PALLIANT. Vereor equidem, ne idem accidat Ignatij domicilijs, ijs maximè, quæ recèns è seculo digressos accipiunt, sítque interdum reperire aliquem, qui vilissimæ lacernæ profanarum cogitationum, & Ægyptum redolentium consiliorum, cœlestem Terræ sanctæ purpuram injicere moliatur. Nempe hîc quoque exclamat Apostolus: *No-*

Ser. 16. Sup. Cant. To. III. 48.

2. Cor. 5.

Nolumus exſpoliari, SED SUPER VESTIRI, *ſuperindui cupientes.* Placet videlicet nobis meditatio cœleſtium rerum, ſed profanarum & curioſarum non diſplicet. Divinorum Vatum Oracula recognoſcuntur, ſed Fabularum memoria non oblitteratur. Eſt, qui Crucis in amplexum receptæ clavos ore ſuavietur; ſed mens interim in mundi prata recurrit. Obedire ac ſubeſſe amamus, verùm non ſinè ſpe, futurum olim, ut præſimus atque imperemus. Corpus vexamus, animo indulgemus. Eorum pedibus, qui pariter Chriſto nobiſcum deſerviunt, advolvimur, oſculúmque imprimimus, & fieri tamen poteſt, ut natalium noſtrorum recordatio, & præclara de nobis opinio, ſupra eorum vertices nos efferat. Doloris pane fames paſcitur, & famæ gloriæque cupiditas non item expletur. Quid multa? *Nolumus exſpoliari, ſed ſuperveſtiri.* Sed heu! *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Ipſum verũ non videbis*, NISI IN PHILOSOPHIAM TOTUS INTRAVERIS.

 44. Sed

44. Sed, quod hæc omnia mala excedit, illud eſt, quòd non raro, qui Eſaui profanam veſtem retinet, eam nè ſentiat quidem, putétque, ſe Sacerdotali Byſſo cum Samuele magnificè exornatum. Ego, inquit nonnemo, nullâ me aut illecebrarum, aut honorum cupiditate percelli animadverto, & in hac, quam ſecutus ſum, vitæ obſcuritate lubens acquieſco. Nempe non ideo nulla te honoris cura ſollicitat, quòd nulla ſit in te iſtiusmodi cupiditas; ſed quia nihil modò præſtò eſt, quod ambias. Non altos Spiritus geris, modeſtiámque retines, ſcilicet dum procul abes ab Exedris & ſuggeſto. Solitudo te capit, & umbra domûs: at litterarum etiamnum rudis, rerúmque gerendarum imperitus, non habes unde plauſum captes ac celebritatem. Horres faſtigia dignitatum, eminere ſupra cæteros detrectas? hìc enim quò quis obſcurior infráq; omnes eſſe cupit, eò & pluris æſtimatur ab omnibus. Qui ſis, tum enimvero videbimus, cùm in lucem prodieris, habuerı́ſque unde clareſcas. Tum te dolendi

avidum, impatientémque solatiorum credam, cùm inobservato, procul Præsidum tuorum oculis, & ab Extraneis invitato, licebit sinè vulnere vivere, favósq; degustare. Quemadmodum enim Holosericum, si æneâ occlusum cistâ servetur, sit licèt venenatis illitum succis, contagione non nocet, nec sulphur aërem graveolentiâ inficit, nisi ardeat: ità cupiditates humanæ dormiunt sæpe, non moriuntur; inducias faciunt, non pacem. Cujus Theologiæ splendor è voluminibus D. Augustini dimanavit. *Aliud est enim*, inquit, EXHAUSTA *Pestis, aliud* CONSOPITA. *Vt malè olere omne cœnum, quod* NON SEMPER, *sed* CUM COMMOVES, SENTIAS. Obdormiscunt aspides quoque, donec hyems sinit, nec vernus excitat tepor. Ità mirum videri non debet, si, dum in hac domo, quæ divini Fervoris perpetuâ quadam Pentecoste fruitur, moramini, nulla vos vel famæ cura, vel commodorum aviditas, vel denique dignitatis ullius ambitio tangat. Nemo aliam ob causam in hac Palæstra

Lib. de cogn. Dei ac animæ. To. 76. 92.

luctatur, ac sudat, quàm ut ultimum locum, munúsque laboriosissimum juxtà & despectissimum sibi præripiat. Sed enim temporum, locorum, rerúmque aliarum varietate, ipsum quoque pugnæ genus commutabitur, & tum denique intelligemus, ecquis cupiditates suas virtute peremerit, vel illiciorum absentiâ consopierit. Colligit propterea S. Augustinns. *Non quæro, quid negatum non delectet*, SED
Ibid. QUID NON DELECTET OBLATUM. *Multùm interest*, UTRUM DESPERATIONE *obruatur cupiditas*, AN SANITATE PELLATUR. Equidem plerique vestrum, quæ singularis in vos Dei clementia est, naturæ propensionibus estis mortui, & soli rerum æternarum crucísque amori vivitis; ideóque confido, fore, ut quovis in munere ac loco collocati, eum semper vultum retineatis, qui Apostolos, & Sancti Parentis Filios, vos esse demonstret. Id quod, dubio procul, omnibus, qui hac in domo educantur, eveniret, nisi, tot inter perturbationum suarum domitores, infelix aliquis delitesceret,

qui,

qui, retentâ licèt minimâ, eáque semianimi cupiditate, quamprimùm laxiorem custodiam nactus fuerit, ad retractanda veteris hominis desideria, jam nunc se paratum ostendit; futurus inter Israelitas Ægyptius. Nulla de cupiditatibus suis reportata victoria satìs est, nisi debellatum sit cum omnibus.

45. Quòd ut adstruam, finge in hoc viridario nostro ingentem Quercum assurgere, vel ipsâ Mambre Ilice vastiorem. Age jam, & in sterilem arborem secures expedi, truncum ab ultimis usq; radicibus exstirpa, flammis exustum in cinerem redigito, nihílque excidio supersit, præter tenuissimam glandem, quæ fortè in Arboris ruina excussa ramis, flammas vitaverit. Atque hîc scilicet triumphare vos video, quòd stirps illa frugis expers, & aliarum arborum noxia fœcunditati, aliquando perierit. Ego verò ingemisco, ùt quem Gregorius dubitare non sinit, fore, ut, è neglecta bacca, rediviva denuo Quercus existat primùm, ac deinde, alijs atque alijs prolatis glandibus,

in plusquam Hercynium nemus excrescat. *Ecce* IN UNO GRANO *parvissimi seminis* LATET TOTA, *quæ nascitura est*, ARBORIS MOLES. Quis crederet, è minutissimi seminis neglectu, subinde totum Hortum inumbrandum, eóq; paulatim sylvescente, Urbem totam, viciniámque universam densissimo nemore involvendam esse? Proh cupiditates exitiabiles, quam demum stragem edituræ estis filiorum Dei, atque æternæ vitæ Hæredum, nisi maturo exitio pereatis! Frequentissimis maximísque urbibus infectæ vestis lacinia pestem intulit. Nullus tam exquisitè condîtus missus est, quē veneni gutta non corrumpat. Desiderium quodlibet, à Constitutionib⁹ alienum, Apostolos vertit in Apostatas. *In Grano latet tota arboris moles.* Sanè nisi te penitus Cruci, cum Christo, suffixeris, tam manifesta sonánsque ruina tua erit, ut, qui modò Dei Throno, velut alter Cherubinus, assistis, & mentem quidem divinarum rerum vel meditatione, vel lectione recreas, corpus verò voluntarijs cruciatibus

Hom. 26. in Evang. To. 32. 262.

bus

bus affligis, paulò poſt alis omnibus te inde ſubripiens, ex Angelo in papilionem abire, fulgoréque gloriæ amburi, redigíque in cineres dubitaturus non ſis. His verborum involucris utor; horret enim animus eas, quas mente præcipio, infelicium calamitates ſuis coloribus exprimere. Id ſolùm, ut tibi perſuadeas, velim, fore, ut, niſi præſens conſilium ſecutus, ijs omnibus, quæ tecum è paternis ædibus ad Dei domum attuliſti, totus aliquando moriâre, vel, deſertâ Cruce, in Jerichuntis campos remigres, vel certè, licèt ab ea fortè non te refixeris, clavis roſas ſubroges, in ſpeciem quidem crucifixi nomen, re ipsâ verò corollas capite circumlaturus. *Ipſum verum non videbis, niſi in Philoſophiam* TOTUS *intraveris.*

46. Neque verò inde tibi blandiaris, quòd tibi videaris ità pietatem illecebris ſenſuum, ac fomitem virtuti junxiſſe, ut penes hanc regnum ac ſumma in te poteſtas deinceps futura ſit. Cui fallaciæ ut larvam detrahat Philo, phialam oſtentat limpidiſſimâ plenam aquâ, gene-

ro-

roſo Falerno temperatam. Quis autem eſt, qui neget, perfectiſſimam ſocietatem, diverſiſſimis licèt liquoribus, intercedere? Et aquæ quidem nec color, nec vis ſua ſupereſt, imò victus planè inferioris elementi languor, & vini robori ceſſiſſe videtur. Sed ridet hanc victoriam Hebræus Philoſophus. Quippe ſi conjunctionem ejuſmodi minimè naturalem ſpongiâ, oleo delibutâ, tentaveris, videbis ab hac, utpote in mari nata, omnem aquam attrahi, relicto in fundo generoſioris naturæ liquore. *Nam hæc duo, ſi uniantur, temperaturam conficere*, QUÆ NIHILOMINUS REDIRE POSSIT AD QUALITATES PRISTINAS. *Si enim Spongias imbuas oleo, Aquam colligi*, VINUM RELINQUI. Huc ſcilicet recidunt victoriæ trophæáque, quæ virtus oſtentat, dum cupiditates ſibi tributarias, & ob arctiſſimam neceſſitudinem in ſe transfuſas eſſe gloriatur. Idipſum namque, quod ad virtutis amplificationem conſpirare videbatur, ab ea ſeceſſionem faciet, & Natura, eodem nobiſcum fœtu edita, ſic re-

Li. de confuſ. Ling. To. 107, 198

di-

dibit ad genium ſuum, congenitáſque ſibi cupiditates recuperabit, ut Gratiæ influxus poſtremo in animo noſtro loco, ſi tamen ullo, futurus ſit. *Aquam colligi, vinum relinqui.* Quamprimum familias dignitatibus auctas viderimus, fumo ambitionis opplebimur; & viciſſim, ubi jacere premíque conſanguineos noſtros inaudiêrimus, mœrore conficiemur. Id porrò, quod de cupiditate ab irritamentis ſuis procul poſita dico, multò magìs de ijs propenſionibus, quarum præſentia penitúſque cognata illicia ſunt, intelligi velim: videlicet excellentiæ ambitione, ac amore commodorum. Haud equidem hæc eò diſputo, quòd credam fieri poſſe, ut, dum hoc in exilio vivimus, animus à corporis contagione penitus abſolvatur, & appetitu ratio, cupiditate religio vacet. Sinam animi ac corporis, Virtutis ſenſuúmque fœdera: at non eo modo, quo Vinum aquæ in Philonis cratere permiſtum fuit. Ad eum itaque modum Apoſtolicæ vitæ ſtudio caro noſtra conſentiat, quo in Theriaca confunduntur, & nobiliſſima

ex

ex Oriente aromata, & ignobiles herbæ, nardus ſilveſtris, ſcordium, ſtilla, trifolium, ruderum ac foſſarum alumni. Hæc enim ligneis æneíſque piſtillis trita, & in minutiſſimos atomos redacta, medicis Arabiæ ſuccis, ſucciníſque Jndicis ità permiſcentur, ùt nullâ poſthac vi, ne flammæ quidem, poſſint deperditam ſpeciem priſtinúmque ſaporem recuperare. *At confuſio cùm ſit*, proſequitur Philo, *penetrantibus ſe invicem partibus*, QUALITATES EARUM PEREUNT, *ut corruptis rebus, quæ priùs fuerant*, UNIUS NOVÆ, ET A PRIORIBUS DIVERSÆ, EXISTAT GENERATIO: *quod accidit in Medicorum compoſitione, quam vocant Tetrapharmacum.* Quòd ſi ergo pars hominis inferior tam efficaci ſtudio, & implacabilis in ſeipſum odij vehementiâ, ſuperiori commiſceatur, corpúſque rationis, Gratiæque legibus contemperetur, ſempet illud Pietati ſubjectum erit, virtutíque per omnia famulabitur, nullâ deinceps neque fugâ, neque conſpiratione, à fide, ad damnatæ ſemel licentiæ

ca-

castra, seducendum. Sed enim aquæ vinique mixtura nullâ pistilli operâ eguit, sed solâ liquorum societate coaluit, qui velut ex æquo in unum convenêre, nec obnoxiè, nec in alienam naturam immigrantes. Quare si optamus sensus affectionésque nostras, quas celsissimo huic vitæ generi consecravimus, ità perseverare, ut nunquam deinceps ad pristinam conditionem revertantur, necessum est, eas efficaci brachio severæ disciplinæ ità subigi, ut penitus contritæ, &, abolitâ prorsus veteri substantiâ, insolubili nexu in eam naturam inserantur, in quam nos, divini vocatûs munere, militiæ nostræ ratio transformavit.

47. Jámque ab Aromatum olerúmque interitu, ad alterum caput propositæ disputationis deducti sumus. Vin' veterem Hominem emori, novum induere, & à seculi malis, quibus exagitatus nuper fuisti, plenè convalescere? age, & Regentium arbitrio totum te committe. At enim fieri nequit, ut ægro sanitas reddatur, quam repellit: neque ut mortem ar-

arceas, ſatìs eſt vitæ deſiderio te teneri, niſi ſeverâ vivendi, veſcendíque diſciplinâ, ingratiſſimorum medicaminum amaritie, ignis ferríque violentiâ, vim morbi Medicus frangat, & corruptis humoribus alimenta, noxiúmq; virus ſubducat. Vobis, niſi annitentibus, inducere ſanctitatem Societas haudquaquam poteſt. Hanc verò fruſtra ſperatis, niſi veſter ad Virtutem ductor, omnes vitiorum radices in vobis amputet, & originariæ Noxæ tumultus, primorum parentum hæreditatem, divinæ Gratiæ tranquillitate componat. Proſperum audiamus, non minùs inſignem religioſæ perfectionis magiſtrum, quàm Chriſtianæ Theologiæ Profeſſorem. Sic igitur ille: *Vt quicquid in melius reficitur,* NEC SINE ILLO SIT, QUI SANATUR, NEC NISI AB ILLO SIT, QUI MEDETUR. Cùm igitur vos videam, à Præſidum veſtrorum nutu pendere, eos de vobis in virtute progreſſus mihi polliceor, ut non antè virtuti metas poſituri ſitis, quàm vos Societas ex hominibus in Angelos abijſſe conſpexerit, & ad

Præfat. in Lib. contr. Collat. To. 34. 211.

pu-

publica munia dimiſerit, Evangelij Præcones, conſecratoréſque generis humani. Jam verò ſi quis, dum hos intrà parietes, velut materno in utero fœtus, adoleſcit, ad laborem ſegnis, impromptus ad voluntarios cruciatus, in precibus frigidus, Diſciplinæ fugitans, verecundiæ indocilis, ad ludicra pronus, Legum impatiens aut negligens, moderatorum curas intenderet, tranquillitatémque turbaret; huic vos infauſtos exitus jam nunc ominamini, pronunciatéque futurum, ut vel in Ægyptum, unde nuper evaſerat, lethali ſaltu præceps ruat, vel, faſtidioſus ſacrarum ædium incola, condiſcipulos exemplo, ac ſocietatem mali nominis famâ inficiat. Haud difficile divinationis genus eſt, gravidis matronis prædicere, marémne an fœminam ſint edituræ. Nam ſi matri color conſtet, ac minimùm partus incommodet, dubium non eſt, columen domûs, paternarúmque ditionum Hæredẽ parituram. At verò ſi conceptus vultui pallorem inducat, viſcera torqueat, exanimétque puerperam, tum enimverò tot

ærumnas ingrata puella ſubſequetur. MELIOR COLOR MAREM FERENTI, ET FACILIOR PARTUS. *Contraria omnia in altero ſexu* : INGESTABILE ONUS. Itâ ſenſit, pronunciavítque Plinius Senior, admirabilis Naturæ interpres & Hiſtoricus. Atque adeò minimè vanum aut temerarium divinationis genus eſt, faſtidioſo moleſtóque Tyroni degeneres funeſtóſque exitus ominari. Quamobrem quoties (vix autem, nec niſi rariſſimè, id accidit) ità diſſerentes audio : connivendum indulgendúmque nonnemini eſſe, ne ſcilicet jugum prorſus excutiat, feratúrque per avia: opperiendum eſſe tempus, dum ſe glacies frangat, igneſcat cinis, flectatur contumacia, torpor evigilet, componantur oculi, lingua mundi linguam dediſcat, denique dum miſer, inter tot aliorum feliciter ardentium flammas, igniculum aliquem pietatis, fervoríſque concipiat; Eum ego continuò conclamatum, abortúmque veriùs, quàm prolem noſtram, eſſe pronuntio. INGESTABILE ONUS! Nempe

L. 7. c. 6. To. 57. 29.

Hæ-

Hæreditatem Gratiæ non adibit, & inter coronatos Apoſtolicæ perfectionis Principes nec regnabit, nec locum habebit ullum. Inconſtantiam morum illius exhorreſcis? Ajo, primogenitum in multis fratribus non futurum. *Melior color* MAREM FERENTI. Equidem cruentis lachrymis deflerem vel unum, qui in magno licèt egregiorum Tyronum & Scholaſticorum numero Regentibus acerbus, Docentibúſque moleſtus exiſteret. Quare ſi ſeriò ſanctitatem, hoc eſt animo veſtro Sanitatem optatis, eorum manibus vos fingendos committite, quorum induſtria vos aut emundat, aut informat. *Vt quicquid in melius reficitur, nec ſinè illo ſit, qui ſanatur*, NEC NISI AB ILLO SIT, QUI MEDETUR.

48. Animadverti porrò id ab omnibus velim, oppidò hallucinari eum, qui, quòd privatim publicéque diſſerentem Præſidem audiat, ad abſolutiſſimæ virtutis conſecutionem magnis paſſibus ſe proficiſci arbitratur. Nulla Domûs hujus, ac cœleſtis quodammodo ſacrarij,

vacare pars debet, cujus magiſterio præceptionéque non erudiaris. Quod ut planum faciam, exponenda ea ſententia eſt, quam Plutarchus de formatione Embryonis aut refert, aut ſequitur. Donec, inquit, filiolus materno in utero abſolvitur, eget ille, proculdubio, quô alatur. Id verò inter Philoſophos controvertitur, labellíſne alimenta ſugat, an hauriat umbilicô? niſi fortè, ſpongiæ more, ab omni quaſi parte adducat: id quod ſapientiſſimo cuipiam Philoſopho placuiſſe video. PER TOTUM CORPUS ALI affirmabat ille, *exſugere eum* SPONGIÆ IN MODUM *alimenta.* Doceamini oportet in ambulacris ab incedentium ſilentio, in officinis à contentione laborum, in triclinio à pœnis ultrò ſuſceptis, in cubiculis à precantium lacrymis, à ſtudiosè intentéque libellos pios legentium ſedulitate, à parendi alacritate, muniáque demandata exequendi ſtudio: quid de aula domeſtica dicam, in qua colloquia ſeri auditis plena pietatis, modeſtiam ſpectaris Angelicæ ſupparem, concordiam, mu-

Lib. 1. de Placit. Philoſoph. To. 110. 137.

tu-

tuámque in omnes, nullo diſcrimine, charitatem animadvertitis? *Per totum corpus ali.* Templum, in quo preces funditis, hortus, in quem operis faciendi, aut auræ captandæ causâ ſeceditis, in Deum vos ac cælum abripit, atque eripit terræ. Domo progreſſos animi causâ, Martyrū tumbæ invitant ad pietatem; ſævities, quâ vel ipſi corpus veſtrum accipitis, vel ſua membra Sodales veſtri excruciant, Anachoretarum ſocios, & Martyriorum candidatos efficit. Xenodochia, quibus ſub Novembrem operam locatis, moriendi artem vos edocent. Peregrinationes, quas pedites, viaticóque deſtituti, ſuſcipitis, viam ſternunt ad Indias. Exercitia denique ſpiritualia, menſem totum, quaternis in dies ſingulos meditationi rerum cœleſtium ſepoſitis horis, ad contemplationem vos fingunt, ac medias inter Academiarum concertationes, & Apoſtolicorum munerum difficultates, placidam ſolitudinis tranquillitatem receptúmque jam nunc vobis moliuntur. EXSUGERE IN MODUM SPONGIÆ ALI-

MENTA. Sedenim fatendum est, ut transfusum à genitrice alimentum, si sanum sincerúmque fuerit, proli robur vigorémque suppeditat, ità corrupto pestiferóque Chilo corrumpi fœtum, aut perimi necessum fore. Pariter si, quod Deus avertat, ex ijs aliqui, qui recèns huc se contulerunt, aut in hoc secessu remotam à communi consuetudine vitam agitant, in provectioribus non exactissimam legum observantiam notarent, aut fortè mores deprehenderent, non incompositos illos quidem ac solutos, sed tamen non usquequaque castigatos, futurum, ut ea pravi exempli pestis teneras mentes inficiat, & ad solvendos mores vitæque licentiam detorqueat. Dicerent enimverò proprij profectûs haud admodum anxij adolescentes: quòd si hi, ad quorum formam corporis animíque habitus componere jubemur, tam frigidè negligentérq; hîc annos conterunt, quis deinde vitio nobis vertet, si per eorum vestigia gradientes, religiosæ austeritatis jugum utcunque molliverimus: quin humeros, vano sci-

ſcilicet labori, ſubducimus, pondúſque abijcimus, quod nec illi ferunt, nos verò ut feramus nullâ lege adigimur? Sanè vox una foret ignavorum, atq; una omnium Eccho: *Neque enim melior ſum*, QUAM PATRES MEI. 3.Reg. 19.4. Quæ cauſa eſt, ut oculos abducamus à rerum minimè malarum ſpectaculis, quando natu majores noſtri fratres, quidquid allubeſcit, intuentur? Cui bono pedibus alas addimus, ut primô ſtatim æris campani pulſu avolemus, cùm interim vix pedem moveant illi alij, cùm feſſus jam extremúſque ſonus allabitur? Nempe nulla nobis abibit dies, quâ non aliquid de parciſſimo victu ſeponamus, fraudandi genij ergô, ſi nonnemo eorum, quos religioſæ auſteritatis exemplaria jubemur intueri, ab abſtinentia ſe abſtinet, fruitúrque oblatis? Itáne verò quotidianis flagris nuda oſſa cædemus, ſi Veteranorum aliqui duos, tres, quatuórve dies per hebdomadam tranſigunt incruenti? Grande ſcilicet piaculum reputabimus, rumuſculi cujuſpiam commemorationem, dum, qui nobis viam præit, religioni ſibi non

ducit, aures linguámque commodare famæ populari. Ne multa, non gestus incompositus, non gressus solutior, non obtutus liberior, non actio minùs sancta, in Veteranis ab ijs notaretur, quô non in alimentum verso, cœptum cursū abrumperent, rati extra culpam se fore, si vestigia, quamvis culpata, insistant. *Exsugere* IN MODUM SPONGIÆ *alimenta*. Quàm ego autem imprudenti Zelo abripi me sum passus, ut labeculas in domûs hujus senioribus alumnis fingere mihi auderem, utique cùm ad eos solos, qui religiosam vitam nuper auspicati sunt, verba me facturum receperim. His igitur orationem reddo, tum quòd Veterani omnes vivendi agendíque exemplis clarissimis fulgeant, tum quòd ad juvenes laudata Servatoris sententia pertinere vel maximè videatur. *Nisi granum frumenti cadens in terram* MORTUUM *fuerit, ipsum solum manet*. Vos igitur alloquor, fratres mei, meâ mihi vitâ chariores, vos exhortor moneóque, ut perturbationes vestras, profanósque motus sic edomare, comprime-

ré-

réque ſtudeatis, ut egregios animorum veſtrorum ardores commendare, ac triumphare gaudio Moderatores veſtri poſſint. *Melior color* MAREM FERENTI. Quòd eò leviore negotiô effectum dabitis, quò copioſior id agentium eſt numerus. Quot enim ſunt inter vos, quibus vel nutus ſatìs eſt, ut vel in Thaborem enitantur, cum Chriſto candidiorem nive ſpeciem induendi, vel Calvariæ culmen aſcendant, tormentorum ſiti conficiendi. Complures eſtis, minimè graves Societati, quæ morigeris videlicet, modeſtis, ſtrenuis, pijs formam aptat, nullis ſuis aut faſtidijs, aut cruciatibus. *Melior color Marem ferenti.* Erit tempus, nec me fallit conjectura, quô ipſi quoque inter Virtutis exemplaria, Societatis columnas, Provinciarum Magiſtros & Apoſtolos, poſt innumeros populos, Patri Deóque veſtro generatos, cenſeamini. Illi verò pauciſſimi, qui vobiſcum diſſimiles vobis degunt, & Domûs hujus cuſtodes tot moleſtijs, velut injectâ mole, oppreſſos, exclamare cum gemitu cogunt: ONUS IN-

GESTABILE, damnato tandem tepore ſuo, ad illorum pedes ſe proſternant, ac cum lachrymis malo ſuo remedium exorent. Spondeant, quicquid jubeantur, exequuturos, & licèt ſtrenuè ignaviam excutiant, séque ad frugem ſummâ virium contentione recipiant, omnem tamen recuperatæ ſanitatis felicitatem paternæ medentium curæ referant acceptam. *Vt quicquid in melius reficitur, nec ſinè illo ſit, qui ſanatur, nec niſi ab illo ſit,* QUI MEDETUR.

49. Erravi, rationémque emendationis perverti. Vos potiùs, vos inquam, ſancto quodam furore, diviníque Spiritûs impetu abrepti, Duces Magiſtríque vobis eſſe debetis. Dormitet licèt, atque obdormiat, qui profectui veſtro excubat, perfectionémque veſtram, quam modò urget, negligat; vos tamen ipſi vobis legem dicite, ipſi in nævos veſtros animadvertite, animúmque tum cœleſtibus flammis, tum vulneribus corpus implete. Huc facit, quòd Apoſtolus, frigidos quorundam ſomnóque torpentes animos ere-

erecturus, non eorum manus corripuit, non incussis verberibus excitavit, sed ut se ipsi erigerent in pedes, somnum ab oculis extergerent, divinique Solis ardori strenuè se offerrent, mandavit. SURGE, inquiebat, *qui dormis*, *&* EXURGE *à mortuis*, *& illuminabit te Christus.* Geminam corporum Anastasim vox ista Resurrectionis in memoriam mihi revocat, hujus, quâ de agimus, paradigma futuram. Equidem quatriduano Lazaro vitam efficacissimus Servatoris sermo redonavit. At enim progressus ejusmodi è sepulchro, quantò prodigiosior extitit, tantò minùs aut felix fuit, aut diuturnus. Haud enim à se diversus evasit, puta perinde injurijs temporum, naturæ necessitatibus, somno ciboque obnoxius. Quare paucis pòst annis mortem obijt denuo, sepulchro putredinique postliminio restitutus. At longè secùs eveniet in decretorio mundi Judicio, cùm Beatorum corpora, non modò alienâ externâque potentiâ, sed receptâ animâ, eáque gloriosâ, è tumbis prosilient, immortalia, subtilia, velocia,

Eph. 5. 14.

cor-

corrumpi neſcia, periculis, morbis, morte ipsâ caſibúſque omnibus ſuperiora. Tanti refert, tuáne vel alterius virtute reſurgas, vitámque precario, alienæque vocis ſuffragio, recipias, vel à propriæ mentis, Deo jam fruentis, felicitate reſumas. Quantumcunque enim probus ſanctúſq; ſit ille, à quo ad virtutis cultum exſtimularis, & à lethargo excitatus conſecrare vigilias juberis, nunquam is tamen Servatorem æquabit, à quo Marthæ frater è tumulo provocatus eſt, novis nihilominus exequijs deplorandus. Vin' reviviſcere non iterum moriturus? vin' caſus ſemel omnes effugere, morbis reditum intercludere, ferro inacceſſus, invictus, inexpugnabilis, muros aheneos penetrare illæſus? fixo in Deum divináque animo, penitúſq; demerſo reſurgas oportet. Hâc enim ratione, qui reviviſcit, nunquam is deinceps interibit, ac verè de illo quoque dici
Rom. 6. 7. poterit: *Reſurgens ex mortuis* JAM NON MORITUR. *Mors illi ultrà non dominabitur.* Secùs ſi feceris, nullâ ſatìs arte conſequeris, ut virtutis exemplo præfulgeas,
vel

vel ad magnāimas expeditiones pares animos afferas. Pro cujus rei confirmatione Arborum genus omne S. Ephrem producit. Nulla enim vel regia poteſtas, vel Coruncanorum Varronúmque induſtria illis vel inſerere florem, vel fructum indere, vel inducere folium poteſt; ipſæ verò tempeſtatum aëris, cœlique ingratiis frondes explicant, odores diffundunt, poma progignunt. Sed nemorum ſacrorum Cultorem maximum audiamus. *Frugiferas* ARBORES *proferam*, QUÆ AB INTRINSECO IPSARUM PRINCIPIO, *tempore ſuo*, POMA CUM FRONDIBUS EDUNT: NON EXTRINSECUS ALICUNDE *ſuâ venuſtate induuntur Arbores, ab interiore principio, Dei juſſu, ſingulæ fructum pro ſua quæq; natura producunt.* Quem à virtutis tramite non exerraturum, & ſervitute ſenſuum eximendum putas? ajo, qui ſuo Marte bonus eſſe noverit, & qui primùm quidem contemplando Numini aſſueverit, tum adversùs cupiditatum illecebras invictum ſe, inviolabilémque præſtiterit.

De Iudic. extr To. 30. 44.

Re-

Resurgens ex mortuis, JAM NON MORITUR.

50. Hinc ad tertiũ dissertationis caput gradum facio, quâ me demonstraturum recepi, quàm necessarium sit, eam, quam cœpimus affectuum pravorum aut expugnationem, aut internecionem constanter urgere, ac ne momentum quidem omittere. Et verò, quæ Dei in nos clementia est, multos hìc esse conspicio, qui Naamano feliciores, adeò secularium morum lepram abjecerunt, ut obductâ non solùm cicatrice, sed inducto penitus omni cicatricis vestigio, extra corpus vivere, atque adamante potiùs, quàm carne constare videantur. Non ideo tamen omnes parta tuentur, sed, novo quodam prodigio, perfectæ Anastaseos immortalitati & incorruptioni, mortem corruptionémque conjungunt. Copiam vobis facultatémque Societas præstat, quâ, Pharaonicæ servitutis compedibus abruptis, ad promissæ felicitatis regnũ proficiscamini. Est tamen, qui subinde vinculis pedes denuo inserat, & ad Nilum regressus à

Jor-

Jordane, ad paleas lateréſque relabatur? veteris concupiſcentiæ Tyrannidi, liberis paulò antè cervicibus ſubjectis. Irrugit idcirco, ſummámque rei indignitatem exe-cratus S. Ephrem, NON OMNES, inquit, *poſtquam viri evaſerint*, SUAS MATRES REVERENTUR. *Itidémque Gratia, licèt multos enutrierit*, A PAUCIS *tamen honoratur*. Equidem hìc omnes ab uberibus Gratiæ pendetis, ut in Gigantum robur excreſcatis: non tamen perinde omnes ab hujus Domûs lacte depulſi, ínque aliam ſubinde traducti, eandem, quam didiciſtis, virtutem, & quam ſemel induiſtis, è Chaldææ Nepotibus in Sionis filios effecti, formā retinebitis. A PAUCIS HONORATUR. Alius conceptos ardores intendet, alius vel reſtinguet, vel in glaciem commutabit. Eidem Nutrici non eandem Alumni gratiam referunt. Agite, Oceanum intuemini, volucrum pariter, piſciúmque primum genitorem. Atque hi quidem elemento, à quo vitam acceperunt, fideliſſimi, ſemper in illo natant, tantóque dolore ſeparantur, ut ſimul,

De Divin. Grat. To. 30. 16.

mul, ubi terram attigerint, animam agant intereántque. Illæ verò stationem, in qua vitam hauserunt, aut liquorem, quo lactatæ fuerunt, nunquam deinceps revisunt. PISCES ET AVES, ut scitè notavit S. Bruno, UNAM ORIGINEM HABENT, *& utraque ex aquis creata sunt.* ALTERI PROFUNDA PETUNT, *alteræ ad cælestia elevantur.* Sanè major melió rque Domûs hujus alumnorum pars, magìs magísque semper in perceptæ doctrinæ pelagus se immittit: non humana, non sublimia appetit, non amara refugit: amant latere, procellas optant, atque illustrium Elementorum consortium studiosissimè vitant. ALTERI PROFUNDA PETUNT. At verò ab hac modestia diversissimi alij, nonnulli supervolant nubes, & ad sidera contendunt, magni nomrnis celebritatem secuti, & tantùm non cum Lucifero pro se quisque testati: *Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo. Alteræ ad cælestia elevantur.* Hi Simonem Magum æmulati, ambulant *in mirabilibus super se.*

Cap. 9. de nov. mund. To. 34. 204.

Nul-

Nullum eſt faſtigium, quod non ſuperbiæ ſuæ metam ponant; nullus tam ad Sidera ſubductus Olympus eſt, quem non pedibus ſubjectum gradum ſibi faciant; Regum turres, quàm inopum tabernas, ſubire malunt: optántque magìs, vel otioſas cum principibus viris ſerere confabulationes, quàm remiges inter rudéque vulgus, de divinis, & ad ſalutem neceſſarijs rebus diſſerere. Ardearum inſtar Planetas circumvolitant, & inani aurâ, Chamæleontum in morem, paſcuntur. Denique eô ipſô tempore, quô veri Ignatij Diſcipuli ad ægros ſolandos, animandos captivos, inſtruendos Agrorum cultores, Mauros ad fidem adducendos, errantéſq; reducendos in viam, ſe ultrò demittunt, ipſi, ejuratis per ſummam perfidiam Evangelicæ doctrinæ præceptionibus, gratiam Procerum prenſant, in familiaritatem Principum ſe inſinuant, convivantium epulas ſectantur, veſtibula regnantium exterunt, atque utinam non eò cupiditate ferantur, unde vitæ humilitas eos arcet quàm longiſſimè. *Alteri profunda*

petunt, ALTERÆ AD COELESTIA ELEVANTUR. Heu! Volucres infelices, Cedrorum medullis intentæ, ac nunquam cum Apoſtolo dicturæ: EGO
Eph. 4. 1. VINCTUS IN DOMINO. Sed immortales Deo laudes, quòd ejuſmodi vultures rara prorſus apud nos avis eſt.

51. Verùm ut hos quoque, paucos licèt, in terram detrahamus, meminiſſe illos jubeo ejus cladis, noviſſimíque excidij, quod degeneres animos, & à fervore in languorem reſolutos, certiſſimè manet. Nam qui ſemel cœleſti lumine paſtus, cujus quidem radijs vos omnes hîc illuſtramini, ac ſubinde ad imaginariæ felicitatis vaniſſimas umbras, nedum ad opera tenebrarum, quæ à parietibus noſtris divina clementia procul habet, oculos refert, non is nutat in caſum, ſed ruit, & in altiſſimas voragines præceps agitur. En vobis, gemino teſte comprobatas, horribilis vaticinij minas. Saul inter Sacerdotes oracula edidit, factus ex Agaſone Pſaltes. Inde digreſſus, & ſceptro admotus, à divinitate Pſalmorum, hoſtiarúmque

que ſanctitate deſcivit. Quid porrò expectatis? Davidem Goliathi victorem, regníque aſſertorem, hoſtiliter inſectatus, & Samuelem, à quo in thronum ſublatus fuerat, averſatus eſt. Octoginta Miniſtros templi, ipsúmque Pontificem, ſupremum Legis interpretem, ad ipſos ſolij ſui gradus jugulari juſſit. Nobem Sacerdotalem urbem, ſacro Levitarum ſanguine inundavit, diruítque funditus: Veneficas conſuluit, Dæmoneſque, ad præcipiendam de belli eventu divinationem, Magicis carminibus ſollicitavit: denique violentas ſibi manus attulit, interiítque, ſui ipſius Parricida. Neque Salomonem mitior fortuna excepit. Is, poſtquam præſentis Dei alloquio dignatus, & ſapientiâ opibúſque cumulatus eſſet, cùm in agnitæ pietatis Religioníſque ſtudio non perſeverâſſet, ad fœdas voluptates, atque his abſurdiores planéq; ſacrilegos ritus deflexiſſe narratur, Moabitidum Ægyptiarúmque amoribus implicatus, conſecratíſque divinitati Sidoniorum Amorrhæorúmque ſimulacris. *Rex autem Salomon*

3. Reg. 11. *adamavit mulieres* ALIENIGENAS MULTAS. TUNC ÆDIFICAVIT PHANUM *Chamos, Idolo Moab, & Moloch idolo filiorum Ammon.* Eousque devenitur, ut vel ſaxis thura crementur, mutarúmque animantium effigies pro Numinibus habeantur, cùm â ſumma vitæ perfectione abitur, & ſubjectis à Divina Gratia igniculis parcè alimenta miniſtrantur. Sic nullam in Apoſtolis ſomnolentiam legimus, quæ in lethargum non abiêrit; nullos nutâſſe deprehendimus, quin corruerint. Thomas à Cœnaculo digreſſus,
Ioan.20.24. & à Collegarum Societate diviſus, Serva-
Marc.14.24 toris redivivi triumphis obſtitit. *Thomas non erat cum eis.* Petrus, otiosè foco aſſidens, Meſſiam inficiatur, & iterum tertióque ejurat. Judas Magdalenæ pietatem, ſparsúmque unguentum incuſans, triginta non ampliùs nummis Dei filium auctionatus eſt. Pleni ſunt Sacrorum Ordinum Annales horribilium ſuppliciorum, quibus Deus Cœnobitarum inconſtantiam teporémque caſtigavit. Præſtat igitur Saracenorum ſecuribus minutatim diſſe-

ca-

catos emori, quàm ingratos Gratiæ, vel latum unguem à Cruce ſe motos, vivere.

52. Neque verò quiſquam litterarias occupationes obtendat: nemo cauſetur, operoſum nimis eſſe, litterarum virtutíſque ſtudia, & Poëticæ mortificationem, rerum cœleſtium humanárumque contemplationem conjungendi: fallit enim fallitúrque, qui ſic diſſerit, quando maximi quique immortalíſque memoriæ Scriptores, tum è Societate, tum ex alijs ſanctiſſimis Religioſorum Ordinum Cœtibus, virtutis egregiæ odorem latè ſparſerunt, dum viverent, nec ſinè fama ſanctitatis defuncti ſunt. Tepor ille tuus, malorum tuorum cauſa eſt, neque unquam Sapientia, quæ Numinis è ſolio, divinóque pectore manat, nutrix illorum exſtitit aut parens. *Sapientia à Domino Deo eſt.* Idem proinde litterarum ſtudijs, quod mari à Sirenibus obſeſſo, evenit. Infamaverant id fretum tum Hiſtoricorum calami, tum carmina Poëtarum: verùm injuriâ innocens pelagus ab utriſque vapulavit. Liberos enim tutóſque curſus præſti-

tit ijs, qui cantûs incurij, avidi portûs, remos adducebant, & lenocinanti Symphoniæ obſurduerant. *Illic*, ait Ambroſius, NON LITTUS IN VITIO ERAT, SED CANORA DULCEDO, *quæ faciebat aſperitatem littoris non caveri.* Magna pars veſtrum, qui nuper Tyrociniū abſolviſtis, poëmata ſcribit, ornat periodos, & veterum Oratorum veſtigia magnis paſſibus premit: nihilo tamen minus inter ipſas Muſarum delicias, & Academiæ plauſus, ſacrorum vatum retinet gemitus, Martyrúmque ſupplicijs invidet. Quot quantíque ſunt, qui ex anguſtis ſpatijs harum litterarum, ad ingens illud Collegij Romani amphitheatrum traducti, tam ſingulari luce virtutis, & exemplo religioſæ diſciplinæ coruſcant, ut ab omnibns, velut integritatis ectypa, & ingenij ac Scientiæ miracula, ſuſpiciantur. Nempe: NON LITTUS IN CULPA EST, *ſed canora dulcedo.* Ambitionis vanitas, laudúmque amor, non diſcendi ardor, Naves haurit, vectoréſque diſcerpit. Enitamur ſanè ad ſupremum ſcientiæ cul-

In Pſ. 43. To. 10. 284.

culmen, ſed religioſæ demiſſionis ultimũ gradum nunquam non inſiſtamus. Exemplo ſit Apocalypſeos Angelus, qui licèt altero pede premeret procellas & tempeſtates Oceani, alterum tamen ab immoto terræ ſolo nunquam removebat. Imbuatur litteris animus, ſed in Deum meditatione defigatur. Plauſus audiantur, ſed à contemnentibus: in litterario ſtadio tangatur meta, palma referatur, ſed affigatur aræ, nunquam reſumenda. Inſpiciantur Theologorum Philoſophorúmque immenſa volumina, ſed nunquam ſacræ paginæ complicentur, ſempérque in oculis, manibus ac mente ſit ſacratiſſima Conſtitutionum Epitome.

53. Quæ omnia facili negotio conſequemur, ſi, vitatis tepidorum colloquijs, ſtrenuorum Sodalium familiaritate uti maluerimus. Hoc antidoto munitam Tyronum ſuorum virtutem Ephrem ſperavit incolumem fore. Retinebitis, inquiebat Religioſus Diaconus, conſtantem vitæ integritatem, omniúmque in vos admirationem vertetis, ſi, neglectis facetia-

rum risúſque artificibus,illorum lateri hærebitis, qui ex oculis lachrymas, ex ore divini Spiritûs flammas fundunt. Neque ullus ſit inter vos tam projectè mendax, aut temerariè vanus, qui è familiaritate cum licentioribus contracta, nullam ſibi, aut libertati filiorum Dei, illatam maculam fuiſſe glorietur. Nam quò minùs damnum ſentis, eò deſperatiùs te demonſtras ægrotare. *Quod ſi dixeris* (verba ſunt S. Ephrem) CONVERSOR QUIDEM, SED DETRIMENTUM INDE NON PATIOR. ET HOC MALE AFFECTI ANIMI INDICIUM EST. *Quô enim pactô fieri poteſt, ut quis prunis deambulet, ac plantas pedum non comburat?* Ne dicas: illum Arcam quandam eruditionis, & Oraculorum Tripodem eſſe. Cedo enim, vel Xenophonte prudentior, vel Socrate gravior ille ſit, ſi virtute deſtituatur, hunc tu, ceu naviganti ſcopulum, & currenti obicem, vita. Quis adeò excors foret, ut arbori, cæterà fœcundiſſimæ, propior fieret, Draconis ſpiris illigatæ, ſibiloque perſonantis. *Quid enim*

De Contin. To. 30. 22.

enim profuerit Arbor, SUB QUA LATITAT DRACO? Quò plura ornamenta, eò plures in illo laquei, si facultatis præstantiam Legum observantia deficiat. *Latitat Draco.* Nempe hìc quoque serpentem, illum veterem Paradisi incolam, æmulatus, nunquam non egregia, non summa Legirupis auguratur. APERIENTUR *oculi vestri*, *&* ERITIS SICUTI DIJ. Devorantes omnia, omnia poteritis. Elidantur fauces pestifero Serpenti, non objecta Daniëlis offâ, sed Christi Jesu semine injecto: ac pro se quisque vestrûm adversûs illius præstigias reclamet: *Nisi Granum frumenti cadens in terrã* MORTUUM *fuerit*, *ipsum solum manet.* Pestilens istud veneficorum genus, & implacabiles perfectæ virtutis hostes ut de gradu vos dejiciant, eâ ratione, quâ Pharaonis Magi, commutatis in viperas arborum ramis, Moysis prodigia æmulati olim sunt, miraculum à Dei filio, in Lazaro ad vitam revocato editum, ausu sacrilego imitari contendunt. Hi quoque ut beatam vobis mortem eripiant, quâ modò, ex-

Ibid.

Gen. 3. 5.

ſtinctis cupiditatibus veſtris, placidè acquieſcitis, portentum ſuum auſpicantur, ſubmoto aliorum manibus operâq; ſacroſanctiſſimi ſepulchri lapide. TOLLITE LAPIDEM inclamant, quorſum enim in tam clementi vitæ genere, tanta Diſciplinæ auſteritas? Subinde, cœleſti gravitate ſepoſita, quam Hieronymus ruſticitatem ſanctam appellavit, non clarâ quidem, ſed ſubmiſsâ voce, ut ab umbris emergas, hortantur: *Lazare* VENI FORAS. Neq; vobis illico ſudarium de vultu removent, aut manus pedéſque inſtitis exſolvunt: ferunt quinimò nonnulla priſtinæ verecundiæ veſtigia, ac morum compoſitionem aliquam extare. Ad extremùm tamen, abjectâ perſónâ, procaciter imperioséque proclamant: SOLVITE EUM, *& ſinite abire.* Neque hìc ſiſtit excitati à morte ad vitam vigor & alacritas; quin idem ille, qui modò jacebat immotus, membris omnibus captus, lucis tam expers, quàm negligens, jam ultrò ſeſe erigit, eóque curſum intendit, ubi ſpes honoris affulget, & doctarum præmia

mia frontium pendent. Aut igitur ocu-
los claudas neceſsè eſt, aut vivere Mortu-
um, & Quatriduanum convivijs indulge-
re mœſtus videbis. *Lazarus verò unus erat* *Ioan. 12. 2.*
ex diſcumbentibus. Huc evadunt denique,
qui religioſæ modeſtiæ gravitatem infrin-
gi ſibi mitigaríque ſuſtinent! Montes,
Mundóſque vel Chryſippi deglutient: &
Inundationem Maris QUASI LAC SU- *Deut. 33.19.*
GENT: ſi vel ſolùm vetiti pomi guſtum
admiſerint. Quis, quæſo te, futurum pu-
tâſſet, ut, deducto ſaxo, quo ſpeluncæ
os obſtruebatur, Quatriduanus aliquis, à
vermibus exeſus puténſque, trium vocula-
rum imperio animatus, exſiliret in pedes,
& inter epulas tripudiaret? Ea omnia ſic
geſta ſunt, ut fragilitatis noſtræ commo-
neremur, oppidò facilis ad excutiendam
violentæ auſteritatis mortem, nimiúmq;
pronæ, ad vitæ, quam Virtuti conſecravi-
mus, priſtinæ munia poſtliminio reſumen-
da. At enim ſanctiſſimi Dynaſtæ illius A-
naſtaſis vitio caruit, utpote à Chriſto im-
perata; Noſtra verò erit longè deterrima,
Dei videlicet ingratijs procurata, mortem
non-

nonniſi morte finiri jubentis. Eamobrem primi blandientium aſſultus reprimendi, tumulíque noſtri ſeris clauſtríſq; firmandi ſunt. Intus foríſque cupiditatum noſtrarum ſepulchrum, obitæq; ſemel mortis cuſtodia adamante claudatur, digna, quæ illud Joannis Elogium aureis characteribus exſculptum præferat: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. Id verò effectum dabimus, ſi ſerpentibus obſurduerimus, *Eritis ſicut Dij*, ingeminantibus. Quo de argumento, ſi mihi vobíſque copiam tempúſque Numen indulſerit, prolixiorem ſermonem ſeremus: eô conſiliô, ut ne Adami calamitatem incurramus, qui pro Divinitate, quam prenſabat, ligonem ſe comprehendiſſe reperit, ac Deum amiſiſſe, Viridario, quod Deus innocentis ſolatio ſtruxerat, ipſéq; ſcelere ſuo violârat, pulſus & in exilium relegatus.

EX-

EXHORTATIO XLI.

Pridie celebritatis SS. Angelorum & Dominicæ XVIII. post Pentecosten.

Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis, quia in omnibus divites facti eſtis in illo, ità ut nihil vobis deſit in ulla gratia EXPECTANTIBVS revelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti. *1. Cor. 1.*

DEi, æternorúmque ſuppliciorum TIMORE tum Chriſti Confeſſores in Catacumbis, tum ejus Sectatores in vaſta ſolitudine opus habuêre. Quô ſimul Serpens Evam ſpoliavit, ſimul impulit ad defectionem Conditoris, oblitam ſui. Nulla itaque auſteritas ad religioſæ vi-

vitæ perfectionem consequendam satis est ijs, qui seculi rebus se abdicârunt, si supremi judicij, & cruciatuum æternorum metu destituantur. Explicatur, quo sensu Ecclesia filia amoris, Synagoga verò Timoris ancilla dicatur. Hunc neutiquam improbat Paulus, si modò cum Christianis æterna, non autem cum Judæis temporaria damna nos moveant. Illorum memoria Christus Apostolos suos ad Martyrium animavit: & quisquis ad summum sanctitatis fastigium aspirat, in altissimas æterni carceris voragines animum demittat oportet. Eâdem ratione, quâ Israelitæ in Terram sanctam pervenerunt, nos quoque ad Virtutis perfectionem, atque adeò beatitatem deducendi sumus, hoc est Charitatis nube recreati, & Timoris flammâ conterriti.

54. His

54. His verbis, quæ hodie Sacerdotes ad Aram, atq; ego modò recitavimus, CorynthiEccleſiam, quæ tempeſtate illa Virtutis omnis Sacrarium, & Martyrum ſeminarium extitit, graphicè depinxit Apoſtolus. Ea in effigie primùm quidem germanam fidelémque deſcriptionem agnoſco Cœli Empyrij, in quo viatores Angeli, ſanctiſſimarum actionum promeritis, ad æternam felicitatem ſibi viam muniêrunt. Eadem ſubinde certum vaticinium de hoc Tyrocinio noſtro edidiſſe mihi videtur, in quo, qui recèns divino ſe mancipârunt obſequio, præclaris virtutum ſtudijs ad Apoſtolicos ſeſe erudiunt labores, eóſque Veterani integerrimæ vitæ illuſtribus exemplis tum in ſeipſis exprimunt, tum intuentium oculis imprimunt. Et verò quis elogium illud in Angelicorum Spirituum frequentiſſimum cœtum convenire negaverit, quô Paulus Corinthios exornavit: *In omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia?* At neque futurum arbitror,

tror, quin idem, quod de Neophytis ſuis Paulus, de tenui hoc grege noſtro pronunciet: *Vt nihil vobis deſit in ulla gratia.* Quòd ſi verò ex me quæras, ecquæ illa divitiarum copia fuerit, quam in Diſcipulis ſuis tantis laudibus effert Gentium Doctor, non dubitem vehementiæ Charitatis eas opes tribuere, quæ, poſt conſecratum gloriæ Conditoris orbē terrarum univerſum, vitam inſuper optat impendere. Id duntaxat quærendum reſtat, quibus artibus felices illi Chriſtiani, tam brevi tempore, tantas ſanctitatis opes adepti fuerint. Sed operoſum non eſt, hanc quæſtionem, ex ipſis recitatæ modò laudationis verbis, diſſolvere: quos enim Paulus Charitatis ardore ſublatos in ſublime prædicat, eos pariter Timore dejectos oſtendit, cùm hinc divina Bonitas eos raperet, inde Juſtitiæ rigor Iráque terreret. Quocirca ut Amore illos ebrios eſſe dixit ex eo, quòd litare Deo ſanguinem ſuum concupiſcerent: ſic eos æquiſſimi Judicis metu perculſos, ſupremæque diei expectatione ſuſpenſos repræſentat.

Ità

Ità ut nihil vobis desit in ulla gratia, EXPECTANTIBVS *revelationem Domini nostri Iesu Christi.* Jam verò si primi Christianæ Religionis alumni, in quorum oculis, ac votis nunquam non equulei & secures erant, Divini Tribunalis, æternorúmque suppliciorum memoriâ metúque eguerunt: nemo vestrûm gravatè feret, opinor, si, quæ hominibus novissima accidunt, Auditores meos commonuero: utique cùm ardorem Charitatis, Timoris frigora non modò non restinguant, verùm etiam inflamment, augeant, consevéntque: hic enim Horror si absit, nulla, quantúmvis ingentia bona, ætatem ferunt; sin præstò sit, virtutes universæ maturescent, siquidem jam effloruêre, aut nondum enatæ, virebunt. Atque hæ dissertationis meæ geminæ partes erunt.

55. Utque à prima initium sumat oratio. Adeò conservationi virtutum necessarius est Timor divinus, ut Christi militibus, quos & insertæ collo, pro Evangelij defensione, catenæ nobilitaverant, & paternæ opes religionis causâ sub hasta di-

venditæ illuſtrârant, haud alium S. Cyprianus cuſtodem addiderit, quàm Timorem ab aſpectu eorum fulminum, quæ Deus è Juſtitiæ Throno, in ſuperbiæ montes, ſocordiæque voragines deijcit, cordi humano altiſſimè defixum. *Sit tanquam* TIMOR IN NOBIS INNOCENTIÆ CUSTOS, *ne accepta ſecuritas* INDULGENTIAM PARIAT, *& vetus denuo hoſtis obrepat.* Equidem innocentiâ, quam è Baptiſmi lavacro recepiſtis, magnopere delector, inquit Cyprianus. Placent mihi Amoris flammæ, lachrymis ſua commiſſa deflentium enutritæ. Gaudeo, haud alium deſiderijs veſtris præfixum ſcopum eſſe, quàm furias Tyrannorum, tormentorum lanienas, mortémque in crucibus obitam. Non ideo tamen ſecuros vos arbitror, nisì trepidos videro. Eadem quippe animi à noxijs exſoluti malacia, naufragij nobis cauſa eſſe poteſt, non in eorundem ſolùm vitiorum ſcopulos impingendis, ſed defectionis quoque, & non proviſæ perfidiæ barathro hauriendis, nisì ſecundam Gratiæ afflantis

Lib. 2. Ep. 2. To 2. 57.

tis

tis auram, reflantis ab Inferis tempestatis meditatio, & tartareorum ignium fumus, atrâ nube cœli serenum temperaverit. Audeo dicere, non duraturam diu in vobis integritatem, si eam vos à timoris Societate removeretis, & si expiatæ à sceleribus menti, recuperatæque virtutis conscientiæ non accederent acres stimuli, à salutis amittendæ metu, & irreparabili jacturæ periculo mutuati. Submersi sunt Ægyptij, sed superest naufragio Ægyptus, fœcunda hostium Hydra, & sæva catenarum artifex. Quam ob rem *sit Timor in nobis Innocentiæ custos*, NE VETUS DENUO HOSTIS OBREPAT.

56. Quàm verò sapienter Cyprianus, catenatis pro Christo fidelibus, id consilij suggesserit, intelligemus scilicet, si ad terrestrem Paradisum oculos referamus, eas profectò illic tragœdias spectabimus, quas serpentis dolosæ insidiæ, Divini Timoris acie, virulento halitu hebetata, in Adami primùm, tum nosttrûm omniũ exitium excitârunt. Tam admirabili vitæ sanctitate, in prima illa virtutis Palæstra,

Protoplaſti Parentes noſtri florebant, ut majorem de beatis cœlitibus concipere animo vix queas. Tota illorum vita continuis divinarum rerum meditationibus occupabatur; coram ſe videndos exhibebant perſæpe Angeli, ſuæque Divinitatis ſpectacula Numen ultrò ingerebat: erat legum exactiſſima obſervatio, animi munditiies ſumma, cogitationes omnes cœlo defixæ, voluntatis cum divina perfectiſſima conſenſio: &, ùt Gregorius Pontifex diſſerit, PANIS *ejus fuit viſionis divinæ* DELECTATIO, *Verbi Dei ſatietas, internæ quietis gaudium, lucis inacceſſibilis ſpleudor, ſapientiæ refectio, Angelorum Societas, Amor Dei, jubilum Spiritûs, contemplationis ſuavitas, collocationis deſiderium, ſecuritas mentis,* PRÆSENTIA CREATORIS. Potéſtne autem in mentem creatam, quam vel Gratia divino rore perfuderit, vel cœleſtis Gloria beârit, major iſtâ perfectio cadere? Et tamen de illa evertenda Dæmon non deſperavit. Jam verò ut hanc vitæ ſanctiſſimæ ſpeciem, non deformaret ſolùm imminueréτve, verùm etiam

In Pſ. 5. Pœnit. To. 32. 335.

etiam aboleret penitus, oblitteraretque, nec cœlestia meditandi studium, nec integritatem vitæ, nec voluntatis rectitudinem, nec denique amoris ardorem exstinguere aggressus est. Non à summi Boni cultu primos parentes abduxit, aut legem, quæ ab arbore una eos abstinebat, criminatus est. Non secessionem ab eo Deo faciendam svasit, qui, post traditum totius Orbis terrarum imperium pomi unius usu interdiceret, nec prudenti, nec satis æquo consilio. Non eos ad temulentiam, non ad lasciviam sollicitavit: non otio indulgere, aut fingere auro statuas jussit, posteris adorandas, quos ipsi fecissent, Deos. Infirmare duntaxat vim pavoris, mortísque minas, quam pomi gustus allaturus esset, elevare contendit: nec ultrà moratus abscessit. *Dixit autem Serpens ad mulierem:* NEQUAQUAM MORTE MORIEMINI. *Gen. 3. 4.* Et verò simul animum fœminæ metus reliquit, simul vetiti fructûs cupido incessit, atque unà odium adversùs legem, contemptus pœnæ, oblivio deniq; aut neglectus Conditoris, facto agmine,
 irru-

irruperunt. Ut adeò non dubitaret, immortalitatis jacturâ, pomum Deo anteferre, atque ad ipsas Arboris radices originariam gratiam abijcere, felicitatis promissæ præmia conculcare, & imperio, quod in animantes omnes, quæ terram habitarent, volitarent in aere, vel Oceano natarent, absolutissimum obtinebat, se protinus abdicare. Cujus rei funestissimô spectaculô, præcipitíque adeò ruinâ commotus Tertullianus exclamat: TIMOR FUNDAMENTUM SALUTIS EST. Et mihi quidem id voluisse vir summus videtur: stare advers⁹ temporū elementorúmq; injurias ædificium posse, licèt ornamento coronidum, dispositarúmque ex ordine columnarum majestate careat: tecto quoque destitutum, etsi non seculum totum, annos saltem complures durare: at verò nullam posse molem, quantumcunque perfectam, robustam, ornatámque, vel momento consistere, si fundamenta vel absorpta dehiscant, vel aquis solvantur, vel actis cuniculis moveantur. Ità videlicèt Divinâ Gratiâ frui Mens potest, tametsi

De cultu Fam. To. 58. 228.

etsi

etſi Contemplationi non vacet: caſtitate poteſt florere, licèt lachrymas non fundat: legis poteſt tabulas retinere, quamvis ſacrorum Vatum volumina claudat, firmandæ conſtantiæ perquam opportuna, & ærarium non recludat, utcunque exercendæ miſericordiæ neceſſarium: at nisì timeat, occidit. Hinc eſt, quòd Deus vetitæ arboris trunco, non aureis literis conſignatum edictum affixerit ejuſmodi: parcite in hos fructus manum mittere, ſi me amatis: ſed ſcalpro corticē exaratum hâc aliâ ſententiâ impreſſit: ſi comederitis, moriemini. Quare, cùm neque Pater æternus alium Cuſtodem nativæ Innocentiæ appoſuerit, quàm irreparabilis interitûs metum, hoſtíſque tartareus, diſſimulatis alijs primorum Parentum virtutibus, ſolùm divinæ vindictæ Timorem Paradiſo excluſum iverit, manifeſtè colligitur, abſolutiſſimam quãque vitæ perfectionem, funeſtis ruinis patere, niſì pavore fulciatur. FUNDAMENTUM SALUTIS EST TIMOR. Altiſſimæ quæque moles ſidunt, cùm fun-

damenta labant; & Majores nostros præclarissimarum dotum immensa copia extemplo defecit, cùm salutarem denunciati supplicij timorem animô pepulerunt.

57. Eas verò calamitates, quæ pulsi Timoris exilium consequuntur, non minoribus commodis æquat ejusdem præsentia. Cedò mihi in Ecclesia Christi facinus aut generosius, aut fortius, aut sanctius, aut naturæ infirmitatibus majus, aut Gratiæ robori conformatius eô, quod, quotquot hìc sedetis Asseclæ Crucis, primo statim vestri in hanc Dei Domum ingressûs tempore edidistis omnes? An non istud prodigium est terræ cœlíque, hominum Angelorúmque admiratione dignissimum, esse tot adolescentes, qui ætatis ipso in flore, vigoréque juventæ, cùm cupiditate gliscente sanguis exultat, honorúmque capessendorum maturitas appetit, uno eodémque momento commoditatibus vitæ, opibus, voluptatibus, magistratibus, patri, patriæ nuncium remittere, nudósque, in tam arduum Calvariæ clivum, ascensum moliri, haud aliô

con-

contentionis præmiô, quàm ut in ejus fastigio Cruci configantur, quæ ſcilicet ideo vitam nobis non adimit, ut longâ morte conficiat? Et cujus, quæſo, tanta vis cariſſimos filios, ex optimorum parentum ſinu abſtrahendi; quis tantâ indole, expectationéque juvenes ab honoribus, opibúſque refigere, religioſæque Diſciplinæ, quæ renatis modò in Chriſto fel pro lacte propinat, cinerémque, vice panis, obtrudit, graviſſimo jugo configere potuit? Cujus eam eloquentiã, eam Suadam fuiſſe putandum eſt? Enimvero nuditatem ejuſmodi, rerúmque omnium abdicationem, ſola Timoris potentia præſtare potuit. En vobis ejus rei vaticinium, Iobi Threnis inſertum: *Semper enim quaſi* TUMENTES SUPER ME FLUCTUS TIMUI DEUM. Dici haud poteſt, quô ſtudiô impoſitas navibus merces Gubernatores accurent. Sarcinæ, tantâ induſtriâ, in carina componuntur, ut in navim non illatæ, ſed natæ videantur. Verumenimvero quamprimum turbines ventorum procellæque agitare Onerariam cœperunt, Iob.31,23.

runt, cùm Navarchi, quin ipsi pretiosissimorum tum aromatum, tum vestium metallorúmque Domini, mota loco dolia, & extractas fundo cistas ac sarcinas, in constratum navis promiscuè abijciunt potiùs, quàm reponunt, inclamatísque, miserabili ejulatu, tum vectoribus, tum classiarijs, omnium manibus in vortices jactant eas ipsas opes, quas nuper tam anxiè servabant. CUNCTÆ RES, inquit Gregorius, *in despectum mentis veniunt*, AMORE VIVENDI. *Cùm enim fluctus eam, quam deferunt*, MORTEM MINANTUR, NULLA TUNC NAVIGANTIBUS RERUM CURA; *ea ipsa quoque ex navi proijciunt, pro quibus longas navigationes sumpserunt.* Age jam, si mortis, quæ corporis demum est, obeundæ metus hoc efficit, quid non præstabit cura, ne animus æternùm intereat? Sic est profectò, unusquisque vestrûm commodorum, opum, honorum, parentum, patriæ eam ob causam jactum fecit, veritus, ne in vitæ lautioris procellis salutis periculum adiret. An non illi estis vos, qui

Lib. 21. Moral. c. 17. To. 33. 370.

cùm

cùm à me rogaremini, ecquid animum induxerit, fortunas amplissimas, ætate integrâ & florente, rebus secundis spebúsq; maximis abjiciendi, nihil cunctati respondistis, operæ pretium vobis visum esse, rerum omnium jacturâ salutem æternam in tuto locare? Quòd si ergo cogitatio ejusmodi vos Crucis vexillo adscripsit, &, à Babylone transfugas, Solymis intulit, ut vitæ licentiam pœnitentiâ, otia laboribus, theatra solitudine, venationes lachrymis, jejunijs epulas, choreas contemplatione, imperium servitute, copiam inopiâ, byssum cilicio, funibus torques, plagis gemmas, Cruce denique thronum mutaretis, quis deinde negare ausit, altissimam perfectionem Christianis mentibus inseri vehementissimæ formidinis incitamento? Quis igitur eam, velut omnis Virtutis parentem, amplexus non exclamet: *Omnia bona venerunt mihi pariter cum illa*? Sap. 7. 11. Tacetis? at non tacet Gregorius, qui divini Timoris procellis adscribit tot illa prodigia vitæ Religiosæ, quæ caducorum bonorum naufragiô, rerúmque humanarum

nau-

nauſeâ nunquam non laborat; verentibus ſcilicet nobis, ne Cœlum amitttamus, nisì mundi totius jactum fecerimus. *Nam velut tempeſtate deprehenſi, pondus Navis abjicimus*, QUANDO AB OPPRESSA MENTE DESIDERIA TERRENA REMOVEMUS.

58. Neque prima duntaxat fuga, quam, ſeculo paternæque domûs hæreditate longum valere juſſis, arripuimus, ſanctæ huic Extremorum noſtrorum meditationi tribuenda eſt: ſed ipſam quoque, in ſuſceptis ſemel cum parentibus opibúſque inimicitijs conſtantiam referre acceptam debemus. Parùm hoc eſt; ſupremæ quippe lucis illius memoria, non ſolùm maternis ab uberibus nos refigit, verùm tantâ ea amaritudine inficit, ut nobis venenô potiùs, quàm lacte turgere videantur. Sic quoque non vilem modò nobis patriam ac deſpicabile patrimonium reddit, cavétque, ne perperam amentur, ſed eô artificiô depravatum utrumque, mentis palato repræſentat, ut illam fugiat, hæc verò etiam deteſtetur. Hinc veteribus

bus Monachis nulla potior cura, quàm ut Solitudinis Tyrones, in hac ſalutifera trepidatione, conſtabilirent, certi, qui eâ quatiantur, ſecuros à caſu fore. *Principium noſtræ ſalutis*, verba ſunt Caſſiani, EJUSDEMQUE CUSTODIA TIMOR DOMINI EST, *qui cùm penetraverit hominis mentem*, CONTEMPTUM EI RERUM OMNIUM PARIT, *oblivionem parentum, mundique gignit horrorem.* L. 4. c. 39. To. 48. 71.
Exiſtimo itaque, grandævorum illorum Patrum, talem ad Alumnos ſuos, cùm ijs religioſas veſtes injicerent, orationem fuiſſe: ne ſolitudinis præſidiô tutos ſe arbitrarentur, nisì Divini Judicij timore Virtutem communirent: ne falsâ fiduciâ ſibi blandirentur ob ſeveriſſimam inediã, productas in multam noctem vigilias, Pſalmodiæ ſanctitatem, veſtis, aut ſacci potiùs, aſperitatem, anguſtias ſpeluncæ, perpetui ſilentij, horridi nemoris, duriſſimi vitæ generis, exilij denique à patria, parentibus, urbibus, atque omni ſocietate humanâ nunquam deinceps repetendâ ſuſcepti. Haud enim omnia iſta perfectio-

ctionis planè cœlestis instrumenta, in hoc Paradiso lachrymarum dolorúmque, ad integritatem vitæ defendendam, nedum ad promovendam sanctitatem, satìs viriũ habere, nisì custos Angelus, flammeum æternæ Justitiæ gladium rotans, oculos ipsorum momento quovis everberet. Meminissent, Hieronymum, maximum solitariæ Disciplinæ præceptorem, cùm crudis herbis vitam toleraret, duro silici indormiret, saxô pectus tunderet, sacris litteris mentem stylúmque occuparet, ac solô ferarum belluarum consortiô frueretur, fassum tamen esse, se Tubæ, ad Dei Tribunal humannm genus vocantis, sonitu exterritum, vitâsse flagitia: ánne Tirones, bellíque rudes adolescentulos, intaminatos futuros, nisì vindicis tonitrui sonô excitentur? Quidni ergo rursus ingeminem? *Fundamentum nostræ salutis, ejusdémque custodia Timor Domini est.* Jam verò vos cum animis vestris reputate, vitænè perfectionem consecuturus sit religiosæ quidem, sed moderatæ tamen vitæ, recens alumnus, si, rupes inter & Tigres, Hi-

Hilariones atque Macarij de ſalute periclitabantur, niſi Dei reverentiam apertus Inferorum carcer illis ingereret. *Cuſtodia ſalutis Timor Domini eſt.* Nihil non poteſt, ſi qua Cænobiarchis Thebaidúmq; fundatoribus fides, nunquam non fœcundus eſt metus, quem divinorum voluminum meditatio in animos noſtros derivat, ſempérque Thamaris inſtar geminos partus, hoc eſt PARENTUM OBLIVIONEM, MUNDIQUE GIGNIT HORROREM. Neque verò præclaræ hujus ſententiæ Auctor id modò dicit, ab eo, qui cœli tonantis fulmina extimeſcat, nec vitæ ſuæ auctores, nec familiæ ſtirpem, contrà quàm virtus poſtulet, amatum iri, verùm etiam ipſam parentum cognatíq; ſanguinis memoriam obruendam eſſe, obſtrepente Judicij tubâ. Eâdem ratione divini gladij acie à caducis ſpebus, rebúſque dividimur, ut projectarum ſemel fortunarum blanditias, haud aliter quàm præcipitem voraginem, & fœdè dehiſcens barathrum, intueamur. *Oblivionem parentum, mundique gignit horrorem.*

59. Hæc

59. Hæc omnia, multóque etiam majora præſtat laudatus Timor, humanâ mente receptus. Quamprimùm verò ſe quiſpiam vel punctô temporis illo exſolverit, continuò ab irruentibus undique tum ſtirpis, tum divitiarum, modò contemptarum, amoribus acerrimè petitur, & turpiſſimè vincitur. Et quando S. Gregorius æternarum pœnarum horrorem, cum jactis in altum mercibus, ad præſens naufragium evitandum, componit, nos quoque eandem Allegoriam ad imminutionem Timoris transferamus. Licet interdum videre naves, ubi primùm mare detumuit, ventíque poſuêre, plenis velis eò recurrere, unde paulò antè profugerant, eóque loco anchoras jacere, quô pretioſiſſimarum mercium jacturam fecêre. Illic uncis, harpagonibus, contis ſarcinas ſuas, tum inſtitores, tum Nautæ veſtigant, ſatíſque ſe agere arbitrantur, ſi pannos atque tapetia, ſalſis licèt fluctibus humida corroſáque, recuperârint. Movet me tam repentina monſtroſáque mutatio, ut exclamem: quid hoc rei eſt, viri,

ri, an non vos eſtis, qui non ità pridem pretioſiſſimis quibuſque mercibus navim exonerâſtis? Quî fit igitur, ut, qui argento auróque graves arcas in fluctus jactabatis, qui peregrina nobiliſſimáque aromata alacritate tantâ mergebatis, qui tum Indica, è teſta veneria, vaſa, tum ſeptemtrionis electrum, tempeſtatum procellarúmq; vorticibus haurienda objiciebatis, quî fit, inquam, ut jam laboris contentione tantâ miſeras naufragij reliquias, jactarúmque mercium quiſquilias colligatis, retractis in puppim & tabulis, & centonibus, poſtquam pelago ebur, aurúmque donâſtis? Id ſcilicet, reſpondebunt, malaciæ placidæque auræ beneficio tribuendum, quæ timorem priſtinum effugaverint. An non hoc eſt, quod generoſiſſimis quibúſque thalamorum patrimoniorúmque contemptoribus uſuvenire miramur? Heu quoties accidit, ut, qui in ipſo ſancti timoris æſtu Matris oſcula, patríſque gemitus abominabatur, ſubinde ingratos conſobrinos patrueléſque affectetur, à quibus non minore ſtudio vitabatur,

tur, quàm olim ipſe parentum fratrúmque conſpectum averſabatur! Aut fortè perexiguus illorum numerus eſt, qui, poſt abdicatas ditiones paternas, prædiorúmque venditorum pretium in egenos diſtributum, ſubinde, cùm eos Cœnobia in ſeculum revomuiſſent, probroſis litibus, fædíſque pactionibus, domos pagóſque, tanquam naufragij ſui tabulas, retentârunt, ut privati cives vitam non inopem viverent, qui principalem, ac penè dixerim regiam, fuerant dedignati. Et verò dedecora eiuſmodi non illum modò commaculant, qui reâpſe paternas ædes reviſit, verùm eos quoque, qui fortiter rejecta, ignavâ cupiditate, retractant. Quæ ſanè omnia vel conſopiti, vel exulantis ab animo noſtro Timoris, effecta ſunt ac dãna. Idem ſcilicet Religioſam diſciplinam pertæſis, quod expeditionis Moſaicæ impatientibus, evenit. Eſuriebant infelices Iſraëlitæ dactylos carnéſque Aegyptias, divinorum ſpectaculorum, Paníſque Angelici faſtidio capti. *Quando ſedebamus*, exclamabant, *ſuper ollas carnium*, *& comede-*

Exod. 16. 3.

de-

debamus panem in saturitate. Prô mortalium ingratissimos! Et non animadvertitis, vos ad reditum stimulari, quòd laborum, injuriarúmque exantlatarum Terror sublatus sit? Nempe carnium, quas vorabatis, memoriam retinetis; & cur non item Exactorum Præfectorúmque, à quibus lacerabamini, meministis? Panes, quibus famen explebatis, in mentem redeunt, & palearum lutíque obliti estis? Obversantur animo pepones Memphitici atque cucumeres? obversentur & lateres, quos in Ramesse coquebatis: &, ùt memoriâ repetitis invisi regni palmeta, sic & virgarum, quibus vapulâstis, mementote. Denique si amissarum dapum ingluvies ad pistorum opera vos hortatur respicere, cur Tyrannis excidit animo, nec fornaces, nec labores, nec ergastula, durissimam, quam servîstis, servitutem vobis repræsentant? Totidem verbis, quibus fastidiosas sub Moyse copias objurgavi, quorundam in religiosæ vitæ proposito inconstantiam compello. Si villarum, quas contempsimus, amœnitas virórque

menti recurrat, cogitemus pariter, quàm multiplex vitiorum anguis ſub ijs floribus, praváque ſocietate deliteſcens, venenato nos dente momorderit. Atenim ludorum voluptate domum revocamur? avocamur quoque maledictis, quibus fortunam incuſavimus. Scenæ forſan, & ſpectaculorum ludicra, reditum in patriam ſuadent? Diſſuadeat viciſſim Mimorum obſcœnitas, & Hiſtrionica, omnis nequitiæ Magiſtra. Libertas, vitæque prioris licentia profectionem nobis indicit? Stent contrà compedes, catenæque gravium noxarum, in juvenilis petulantiæ officina cudi ſolitæ, firméntque præclarè cœptorum conſtantiam. Conſuetudine nobilium amicorum, famulorum obſequijs, domeſticorum blanditijs, officijs propinquorum, ad reditum ſolicitamur? Verumenimvero ſi veterum neceſſitudinum dulcedo invitat, abſterreant viciſſim offendicula, lapſus, præcipitia, quorum illæ nobis cauſæ fuerunt: & ſi qualiacunque bona expendimus, multò majora mala eâdem lance trutinemus. Neque dicas: non

ideo

ideo, quòd redeas, criminis ullius te reum futurum. Nempe ſceleris te purum fore credam cùm redieris, quando ipſe fateris te, cùm illic eſſes, noxâ non caruiſſe? Atqui, cùm illic jaceres, divino famulatui te addicere meditabâre, Dei domum mente revolvebas, ſacris veſtibus religioſæque vitæ te aptabas, moréſque prorſus Angelicos præſcribebas tibi. Age jam, & ſi ſeculi contagio tam peſtilens tibi viſa eſt, ut neque voluptatum nauſea, nec deſiderium Crucis, nec religioſæ Apoſtolicæque vitæ dignitas & excellentia, neque cura ſalutis, & animi malè ſibi conſcij, & ſenſuum imperio victi, diri laniatus, ad eam evitandam tibi ſatis fuerunt; quænam iſthæc modò temeritas, quæ confidentia tua eſt, ut ſperes, tametſi divinorum myſteriorum tædiô, integriratis odiô, crucis hoſtis, libertatis avidus, honorum voluptatúmque ſectator, & fidei Chriſto datæ aut pœnitens, aut deſertor, illius denuo paludibus te merſeris, fore nihilominus intaminatum, & labis omnis expertem? Tam vanæ ſpes, ſolidáque fi-

ducia, inſanientis è febri, & vicinâ morte aberrantis, animi deliria potiùs ſunt, quàm ad patriam iter agentis conſilia. Quemadmodum igitur objectis duntaxat fuſtibus, Hebræorum in Ægyptum reditus intercludi potuit, ſic inconſtantes, nè ad voluptatum prata regrediantur, haud alia magìs res, quàm oppoſitum ſupremi Judicij Tribunal, remorari poteſt. PRINCIPIUM SALUTIS NOSTRÆ, EJUSDEMQUE CUSTODIA, TIMOR DOMINI EST: *qui cùm penetraverit mentem Mundi, gignit horrorem.*

60. Atque utinam aliquantò diutius in Timoris vinculis, humilitatéque verſari nobis liberet potiùs, quàm præproperô volatu ad Charitatis faſtigia emicare. Quò abit, exclamat Gregorius, quò tendit Alumnus ille Crucis, ætate profeſſionéque Virtutis tam novus? Ait ille: ad Sancta Sanctorum ſe proficiſci, ut ſuaviſſimæ cum Deo conjunctionis thymiamate perfruatur. Ain', tu ad ſancta Sanctorum? ſubjungit Gregorius, & non venit in mentem,

tem, eam Angelici odoris fragrantiam, summo Sacerdoti gemmas pectore ferenti reservari: non verò à recens initiatis Levitis succendi, quorum corda, vel ulceribus indomitarum cupiditatum hiant, vel scelerum nondum expurgatorum cicatricibus deformantur? Priúsquam ad Amoris, in quo thura cremantur, Altare accedas, necesse est ad alterum, quod est Sacrificiorum, compluribus annis consistere, ad quod Timor victimas cædit, cruorem fundit, & Holocausta in cineres resolvit. ALTARE PRIMUM COMPUNCTIO TIMORIS EST, *altare secundum compunctio Charitatis.* Nè, quæso, tam citò ex oculis abire divinæ Iræ fulmina patiamini, vos maximè, qui è vitæ secularis lubrico vix nuper emersi, primo statim in Religionis templum ingressu sacrum velum attollitis, & carbones Seraphicos, quibus mentes in Deum diuturnâ Virtutum maximarum exercitatione, atque inveteratâ morum sanctitate, transfusa verbi Charitas succendit, profanâ pœne manû attentatis. Non antè ad Ponti-

Lib. 5. C. 4. in Reg. To. 25. 107.

tificiorum odorum ſuavitatem aditus patet, quàm Horroris gladio contrucidati ſenſus, & divinorum judiciorum chalybe vitia, quibus occidimus, occiſa fuerint. *Primum Altare* COMPUNCTIO TIMORIS EST : *ſecundum altare compunctio Charitatis.*

61. Nemo verò exiſtimet, eâ ratione ſe à Timore ad Amorem gradum facere poſſe, quâ Princeps ſacerdotum Pontifex Hebræus, ab Altari Horroris ad Aram deliciarum tranſire conſuevit. Atq; ille quidem deſtinatam cædibus ſedem relinquebat à tergo, cùm in ſacratiora ſe adyta penetraret. Non ità ſe gerit, qui cœleſtis ſeveritatis horrore purgatus, divinorum ſolatiorum amplexus petit. Quiſquis enim pacis vocatur ad oſculum, debet is Apocalypticum Angelum imitari, qui cùm alterum pedem florentibus terræ pratis inferret, alterum ab iratis pelagi vorticibus nuſquam removit. Sic igitur floridas ſemitas divinæ Dilectionis Conjunctioniſque ingrediamur, ut ex impeditis horridiſq; Labyrinthis, quibus nos Chri-

ſti minæ circumſepsêre, non evadamus. *Ità ut nihil vobis deſit in ulla gratia.* En Amoris roſas, ſed tamen EXPECTANTIBUS REVELATIONEM *Domini noſtri Ieſu Chriſti:* Et ecce ſpinas, immo haſtas, Timoris. Atque ad hunc videlicet metûs charitatíſque congreſſum Tertullianus reſpexit, cùm, veluti dudum audîſtis, extremorum noſtrorum mœſtã memoriam, ſalutis noſtræ baſim appellavit: *Timor*, inquiens, FUNDAMENTUM *ſalutis eſt.* Huc quoque pertinet vel maximè, quod S. Auguſtinus animadvertit, Joannis Evangelium exponens. Si quis, inquit, poſtquam quadrato ſolidóque lapide fundamenta locâſſet magnificæ domûs, ab educendo ædificio ceſſaret, riſum profectò moveret non minùs, quàm ille, qui cœptam Evangelicam Turrim ad faſtigium non perduxit. *Hic homo* COEPIT ÆDIFICARE, *& non potuit conſummare.* Luc. 14. 29. Verùm furere prorſus is crederetur, qui exornato ædificij veſtibulo, primóque tabulato perfecto, ſubinde Xyſtorum amplificandorum, & in ſubli-
 me

me promovendorum, cupiditate fundamenta erueret, indignum ratus, tantam vim lapidum obſcuram, & penitus ſepultam jacere. Id certè ſtruere ruinas foret, ac ſumptus vulgi cachinnis cumulare. Equidem educenda ſemper, magíſque polienda moles eſt, non ideo tamen ſubducenda tecto baſis, quâ fulcitur. *Vt perficiatur, quod ſtruitur*, ADDITUR ÆDIFICIUM, NON SUBTRAHITUR FUNDAMENTUM. Conſilium mihi non eſt, Chriſti ſervos à Charitatis præſtantia, quâ plenæ divino Amore mentes ſublevantur, arcere. Aſpirent ſanè ad hæc grandia & ſublimia, ità tamen Cœlo animos inſerant ſuos, ut pedes ſuo pondere ad Inferos depreſſos à terra non refigant. Amemus, ſed timeamus. Prorſus ad eum modum, quo Viri principes, licèt non in fundamentorum cavernis, ſed in ampliſſimis diætis commorentur, & Hypæohra inambulent, curant tamen ut ſarta tectáque ſint porticuum atque conclavium fulcra: ſic Amatores quoque perfectionis Pietatis ſtudio vacent, & quidquid

Tract. 98. in Ioan. To. 38. 234.

quid patiuntur aut agunt, ad ſolam Conditoris gloriam referant. Nihilominus tamen Charitatis, ſublimitati Timoris, quô ſancti efficiuntur, ſoliditatem conjungant, humilem licèt atque depreſſam. Secùs ſi fiat, perinde, ac in Paradiſo, unà cum formidine Innocentia perijt, & in mari cum tempeſtate, mercium quoque jactus finitur; ità ſi cor noſtrum Terrore quati deſierit, unà delicias amoris amittemus: utique cùm hìc ab illius compedibus pennas mutuetur, & volatum capeſſat è vinculis. FUNDAMENTUM SALUTIS EST TIMOR.

62. Pridem intelligo, quid mihi ſectatores Amoris objicient. Hi, velut Artis Naturæque prodigium, ſuſpiciunt ingenioſam Vitri formationem. Viden', inquiunt, ùt Artiſex cinerem ſabulúmq; liquefactum tenuiſſimo halitu rotat in globum, ab omni ſua parte pellucidum: idem viliſſimam materiem, in illuſtre cymbium producit, aut in phialam extendit: denique, cùm libuerit, craſſum illum lentúmque liquorem, &, ſi fortè deci-

de-

deret, terram, ſordidiſſimi luti inſtar, commaculaturum, in pyramidem aut obeliſcum attollit; eáque omnia præſtat hominis Spiritus, Amoris ſymbolum: *Si-*
3. Reg. 19.12 *bilus auræ tenuis.* Et quis neget, hæc divinæ Charitatis prodigia, eſſe ſacris Cœnobijs uſitatiſſima, in quibus ſatìs eſt vel nolæ ſonus, vel Præſidis vox, ut Monachorum quilibet, plures repentè variarum maximarúmque virtutum formas induat, quam temeraria Poëſis, Proteis ſuis, in omnem ſeu cœleſtem, ſeu elementarem ſpeciem, artifice nequitiâ compoſitis, affingere unquam potuerit. Sic illi. Ego verò ùt fateor, eandem vim amoris Spiritui eſſe in Sanctorum corda, quam miramur in ejus, qui vitrea conflat, anima reſidere: ſic animadverti pariter velim, ejuſmodi materiem, unde tanta operum diverſitas exiſtit, nec ferro tractabilem, neque morigeram ſpiritui ſe præbere, niſi malleis antè contuſa, flammíſque fuerit temperata. Vin' ejus rei experimentum capere? Age, &, quotquot habent Venetiæ artifices, Muranum convoca, jubéque

que ſabulum, quod totâ paſſim inſulâ jacet, plenis buccis inſufflare: næ illis ſpiritus antè vitáque deficiat, quàm vel plebejum inde calicem exſufflârint. Atqui ex ea materie vitra conflantur. Sed flammâ videlicet opus eſt, ut artis ingeniô, & flatûs imperiô, contumax cæteroquin arena obtemperet. Ego quoque, mirabile prorſus Charitatis artificium eſſe non inficior, ſed æterni cogitationem incendij, aſſiduámque memoriam penitus animo infixam præmitti cupio ab eo, qui ſe amori fingendum committit. Quemadmodum igitur Vitrum, licèt oris flatu tenuetur in phialam, eô ipſô tamen tempore, quo inſtituitur, non niſi ferreâ forcipe tractatur, & è fornacis incendio, in Operarum denique manus venit, tepidæ afflatu auræ recreandum: ac ſubinde utcunque formatum, igni redditur, ut in recepta figura confirmetur. Ad hunc ſcilicet modum eorum, quæ poſtrema hominum ſunt, ad ſuaviſſimam quietem, Deíque amplexus datur pertingere. Secùs ſi flammis excoqui, tundíque ac commi-

minui malleis refugimus, non in crateres Aris destinatos, sed in evanidas futilésque bullas formabimur. Id nempe otiosi pueri præstant, dum fistulas inflant, smigmate aquâ diluto imbutas, & ampullis aërem complent. Et verò cùm primum erumpunt pellucidi orbes, gratam sui speciem intuentibus præbent: ac formæ quidem, utpote rotundæ, summa perfectio est: placet quoque folliculorum maxima subtilitas; colorum varietas, quibus exundans humor pingitur, cœlestes Irides tantùm non æquans. Sphæra tamen ejusmodi, tam elegans, splendida, pigmentata, si quando tenuissimæ frondis, vel mollissimi floris occursu sistitur, continuò perit, & in spumam multò quàm antè fœdiorem resolvitur: quid si mucronibus, aut porphyreticis marmoribus incidissent? Huc recidunt fœtus, abortus rectiùs dixerim, earum imaginum, quas citra carbonum ardorem, forcipúmque ministerium, solus oris halitus effinxit: germana illorum simulachra, qui, neglectâ ignium æternorum meditatione, oblitterá-

tá-

táque Inferorum memoriâ, mentis exceſſus, ac delicias Amoris prenſant, quæ quidem ſpeciem aliquam virtutis indere tantiſper poſſunt, quamdiu quidem nullâ re impetuntur, & in placido aëre, bullarum inſtar, ſubſultant : at enim duraturam Apoſtolicam formam non alijs imprimere pectoribus queunt, quàm quæ per Timoris fornaculas, ad refrigeria Charitatis iter habuêre. Hoc genus mentium, quæ hîc velut ampullæ cœleſti colore reſplendent, quáſque nobis tum verecundiæ favor, tum nonnulli lachrymarum rores commendant, poſtquam hinc digreſſæ fuerint, ad omnem obicem, ſeu eruditionis famam obſcuriorem, ſeu pietatem ſuis laudibus fraudatam, ſeu impoſiti laboris difficultatem, ſeu condiſcipuli æmulationem, ſeu averſum Præſidis animum, ſeu munus ingratum, poſtulatum quoddam negatum, theatrum ademptum, cathedram dilatam, ſeu aditam hæreditatem, objurgationem aut inferiorem oblatam ſedem, non hærent duntaxat, verùm etiam, qui Globi videbantur cœleſti-

ſtibus coloribus picti, repentè ſunt nulli, humíque prolapſi, id, quod erant, ſpuma jacent omnium, qui perſonatam Hypocriſim execrantur, pedibus conculcanda. Videtis, quò evadant denique umbratiles illi mollis cujuſdam & enervis Virtutis ſectatores, quæ nullo Timoris ſubnixa fundamentô, nihil habet cum Corinthiorum Religione commune, quæ ad palmas, ipſo pœnarum metu, concitabatur. *Ità ut nihil vobis deſit* IN ULLA GRATIA, EXPECTANTIBUS *revelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

63. Explosâ in hunc modum ephemeræ pietatis vanitate, alij ſe dant in conſpectum ingentibus vecti Gaulis, quos, ùt ipſi ajunt, præcipuis laudibus exornavit Ambroſius, longéque Triremibus prætulit, haud aliam ob cauſam, quàm quòd illi velis, placidô ventô tumentibus, ſuâ propemodum ſponte moveantur, hæ verò damnatorum ad tranſtra, &, nunquam non ſub verbere gementium, remigio impellantur, non ſinè maximo Naucleri labore. Ut adeò dum veliferæ

Na-

Naves vectorum cantu cytharísque maria mulcent, & velocissimo cursu concitæ volant, in triremibus non aliud, quàm catenarum stridor, flagrorum sonus, ejulantium gemitus, vapulantium plagæ, remigantium sudor vel audiatur, vel spectetur. Quis autem Zephyris, carbasa inflantibus, placidos Amoris illapsus adumbrari non intelligit? tantò feliciores illos mœstâ Timoris anxitudine, quantò faciliùs velis, quàm remis, navigia provehuntur; felicioréſque sunt, qui currente liburnicâ, tum curâ, tum labore vacui, choreas agitant, quàm qui transtris affixi, attritis ferro brachijs, remos adducunt, quadriremē violentérq; impellunt. *Quid ijs gratius*, exclamat Ambrosius, QUÆ NON VERBERE AGUNTUR, SED SPIRAMINE? Quibus ego id primùm respondeo: nullam hîc à S. Doctore comparationem institui longas inter rotundásque naves. Equis ille hôc loco veliferas naves præstare ait, & harum celeritatem, utpote secundis auris festinatam, illorum cursui, nempe quem stimuli fla-

Lib. 5. Hex. c. 11. To. 10. 113.

gelláque incitent, anteponit. Quando tamen parùm adeò intereſt equos inter ac remiges, atque utrique flagris vulneribúſque urgentur ad velocitatem, libens concedam, feliciorem eum eſſe, qui velis, quàm qui remis, navigat. Neque tamen grandibus Onerarijs Timoris ſymbola deſunt, Anchoras puta, quibus fundantur, tormenta quibus ſe tuentur, rudentes quibus illigantur, cancelli denique quibus muniuntur. Adde: quòd Chryſoſtomus, in præſentis vitæ navigatione, celerrimis quibuſque celocibus pro gubernaculo Timorem apponat. Edicit proinde tam parùm fieri poſſe, ut in Cupiditatum Syrtes, ſcelerúmque ſcopulos non impingas, niſì ſanctus Timor gubernaculo præſit, quàm ut brevia vitent, portúmque contingant, Naucleri abſque adminiculo, ductúque clavi. Quid? quòd huic quoque Timorem præfert, quô videlicet non modò in portum navis dirigitur, verùm etiam tempeſtates frenat, ventos compeſcit, procellas temperat, cœlóque ſerenitatem præſtat. Ad quas difficultates eluctandas, nullum

quan-

quantumcunque vaſtum gubernaculum, ſatis validum eſt, & licèt procellarum furias utcunque frangat, nunquam tamen aut convulſum ſedibus ſuis mare in planitiem coæquat, aut ventorum turbines componit. Eam porrò vim, quæ tabulis, quibus actuariæ naves reguntur, negata eſt, tribuit Deus Timori, quô mortalium mentes agitantur. Sed ipſum audiamus Chryſoſtomum. TALIS, *inquit*, CONTURBATIO, MATER EST TRANQUILLITATIS. *Qui ità conturbatus eſt, omnem tempeſtatem expellit. Qui horret, tremit & perturbatur*, QUIETAM REDDIT COGITATIONEM SUAM. *Qui verò tali non eſt animâ præditus*, GRAVES FLUCTUS SUBIT: *& quemadmodum* NAVIGIUM, GUBERNACULO *defectum, violentorum ventorum impetui relictum, celeriter ſubmergitur*. Antennás quantùm libuerit in cœlum erigite, explicate vela ventis à puppi venientibus, ſi gubernaculum deſit, ſimul omnis tangendi littoris ſpes deficit, manifeſtúmque naufragij periculum im-

In Pſ. 6. To. 31.22,

minet. Idem vos porrò, monet Os aureum, ſeculi hujus mare ſulcantibus cogitate contingere; in quo nec productæ inediæ rigor, nec ſacrorum myſteriorum virtus, nec Charitatis ſerenitas, nec divinorum lumina ſpectaculorum, nec innoxiæ vitæ malacia, ſatìs præſidij affert ad ſalutem, nisì præſtò ſit beatus ille noſtri funeris horror, & divini Tribunalis reverentia, utpote quâ ſublatâ, tranquillitas abit in tempeſtatem.

64. Fac autem Naves Gubernatoris hujus operâ ductúque non egere, & ventis veliſque deferri eos, qui Eteſijs Amoris provehuntur, num ideo Timoris obliviſci hic noſter Amator poteſt? Haud equidem arbitror. Non enim, prô dolor! proſpera ſemper aſpirat aura, neque ſecundis ſemper datur fluctibus navigare. Ponunt interdum auræ omnes, Gaulúmque ingratâ malaciâ figunt immobilem, nullâ ſpe vel optati portûs, vel progreſsûs. Nonnunquâ Euri reflant à prora, curſúmque non morantur modò, ſed invertunt. Auſtri perſæpe incumbunt, qui licèt ſecun-

cundi ſint, nautis tamen neceſſitatem imponunt demittendi antennas, veláque contrahendi. Quô fit, ut remis deſtitutum navigium, vel piratas, ceſſante flatu, expectet, vel violentis turbinib⁹ circumactum, quocunque procellæ impulerint, ruere vel in ſcopulos debeat. Equidem Timori Charitas præſtat, ſed enim non ſemper ardet; útque ardeat, neceſſariæ ſunt exhilaratæ mentis deliciæ, pax alta, ſolitudo, divinorum voluminum lectio, Gratiæ cœleſtis illapſus, animi ſerenum amabile, nullo curarum ſtrepitu, nullis larvarum vanarúmque religionum larvis interpellata: induciæ cum hoſtibus, Cœlum fiduciæ patens, promptum deſiderijs noſtris Numen, ac tota denique aromatum, punicorum malorum, torquium, murænularum, amplexuúmq; divinorum copia, quæ in Salomonis Epithalamio, per arcana myſteria deſcripto, Angelicis ſolatijs animum replet, eúmque divinis amplexibus præparat. Quæ cùm ità ſint, quis non videt, quàm ægre, ſi quidem aliquâ ratione fieri poſſit, hominibus illis

contingat, quos vel ſtudiorum diſtinet labor, vel negotiorum moles, vel ſalutis alienæ adminiſtrandæ cura premit (quæ nempe occupationes Societatis noſtræ homines exercent) ut, inquam, fragrantiam Charitatis ſinu foveant, tot cauſis, tam varijs, tam multis, miniméque obvijs obnoxiam, ut vel votis aſpiret, vel ſemel percepta perſeveret. Ut autem Timorem retineas, Chriſtianæ Religionis capita ſufficit tenuiſſe: nulla enim eſt rerum earum, quæ hominis exitum conſequuntur, cujus memoria terrorem non pariat, quantũ quidem divinâ adjutis gratiâ ſatis eſt, ad irritamenta vitiorum, religioſæque vitæ tædium ſuperandũ. Quantò igitur quiſque, Timore Magiſtro, ejuſmodi animum Anchorâ figit, quæ adeò ſemper in promptu eſt, tenaciſſiméque nulli non arenæ adhæret, ſecurior eſt illo, qui neglectis ſaluberrimi metûs agitationibus, amoris vapores, ſuaviſſimóſque halitus conſectatur! Et hi quidem, quoniam & difficulter aſſurgunt, & nullô negotiô vaneſcunt, ideo etiam raró per-
cui-

cipiuntur, ac sæpe sæpius eos, qui ab eorum Spiritu suum pendere spiritum volunt, tum lætitiâ, tum alacritate vacuos, luctuosâ rerum conversione destituunt. Quantò satiùs est ea præsidia occupare, quæ semper ad manum, & conservandæ vitæ sunt satìs! *Fundamentum salutis* EST TIMOR.

65. Quî autem, inquies, salutis fundamentum esse Timorem dicemus, cùm palàm sit, synagogam ideo collapsam in lapidum acervum subsedisse, quòd supplicij metu se fundâsset? An non id Gregorium testatum fuisse? Reddo ejus verba. *Quid enim Iudaicus populus nisi servus fuit, qui non amore filij* OBSEQUEBATUR DOMINO, SED TIMORE *servili*? Quâ igitur ratione basim perfectionis Timorem appellamus, si Christus Ecclesiam suam, non arenæ tempestatum fluctibus agitandæ, sed immobili Charitatis petræ imposuit, ad quemlibet ictum in scintillas emicaturæ, largósque dulcissimarum lachrymarum torrentes emissuræ, si Moyses aliquis virgam admoverit? An non illa

Lib. 14. Moral. c. 19. To. 39. 233.

Doctoris Gentium verba sunt : *Non accepistis Spiritum servitutis iterum* IN TIMORE, *sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater ?* Quòd si ergo Apostolus, cui arcana Religionis omnia patebant, Christianorum vulgus timere vetat; qnæ causa est, ut id nobis, qui non præcepta solùm, verùm etiam consilia sectamur, tantopere inculcetur? Si Christus in Ecclesia sua Timorem non sustinet, eum tu Cœnobijs obtrudes? Si denique Solymæ cecidêre quia tremuerunt; quâ ratione Nos constantiam mentémq; nostram perpetuâ Timoris agitatione firmabimus? Hanc argumentorum molem, omnem Timori aditum obstruentium, adeò non reformido, ut confidam, non eam disijcere solùm, verùm etiam haud paucioribus, quàm quibus aggesta fuit, rationibus complanare. Et certè, quod ad exemplum Synagogæ attinet, laborandum magnopere non est. Rude enim illud ventríque deditum vulgus, quemadmodum cucumeres ollásque Ægyptias perpetuò esuriebat, ità nunquam vel De-

Rom. 8. 15.

cretoriæ diei Judicium, vel æterna ſupplicia, ſed hoſtium duntaxat gladios, imminentémque annonæ caritatem expavit. Eámque ob cauſam Timor Iſraëlitarum, quippe qui nunquam ab humo ſe attolleret, intráque præliorum adverſa, clades, ſerviléſque catenas omnis ſtetit, Chriſtiano Timori, ſpiritualia duntaxat detrimenta exhorrenti, &, Babylonicis ergaſtulis, caducorúmq; bonorum jacturâ contemptâ, ſupplicia æterna, prædictáſque ab Evangelio calamitates caventi, facere cõvicium nequit. Atque utinam Iram divinam, tartareorúmque carnificum immanitatem reverita fuiſſet tum Scribarum improbitas, tum arrogantia Phariſæorum! næ illos à ſacrilego peculatu, invidia, odióq Meſſiæ hic talis horror abſtraxiſſet. At enim, Auguſtino teſte, Romam potiùs, quàm Inferos, formidârunt, potiórque apud eos Tiberij, quàm Chriſti Judicis, majeſtas & cura fuit. Jam verò à Synagoga gradum ad Eccleſiam faciamus. Quî autem vos illi à Chriſto interdictum fuiſſe Timorem affirmatis, cùm idẽ Chri-

ſtus horribile Judicium ob oculos poſuerit avaris intentatum; cùm infernum barathrum reſeraverit heluonibus, latè dehiſcens? cùm obſeratum vel Virginibus cœlum intueri juſſerit, quôd, Pudicitiæ lilijs, Pacis oleam inſerere neglexiſſent? cùm eam molis prægrandibus, de collo nocentium ſuſpenſis; aut ſecuribus, ad ſterilium arborum radices appoſitis; aut rogis, petulantiæ ultoribus; aut catenis, injurias & contumelias plexuris; aut naufragijs, quæ noxia exempla manerent; aut paleis eventilatis, flammæque deſtinatis; aut lolio, ab igne depaſto; aut invidiâ, proprios artus laniante; aut oculis evulſis, truncatis manibus, reſectis pedibus, ad avertendas majores clades, nunquam non exterruerit. Hìc ego jam quæro: an hâc funeſtiſſimarum vocum nomenclaturâ, hâc acerbiſſimarum pœnarum, hâc inexſtincti rogi, hâc infelicis æternitatis expreſſione, Catholicorum pectoribus timorem eximi, an infigi putes? Quid? an auditoribus ſuis Chriſtus aliam fortè Philoſophiam prælegit, quàm

Pa-

Pavoris? cùm tam ſæpe ſectatoribus ſuis inculcaret, nè dubitarent Mundum univerſum ſalutis ſuæ curæ impendere: cùm nullâ non Evangelij ſui paginâ, ferale illud, & perpetui luctûs nuncium, VÆ ingeminet, imminens vel ridentibus? Age porrò, quâ ratione divinum Timorem, Synagogæ proprium, & ab Eccleſia Chriſti alienum dicemus, quando nullus Hebræorum, citra Contritionem perfectam, hoc eſt ſummum Dei amorem, erigere ſe à lapſu potuit; contrà verò nobis Confeſſionis Sacramentum ità tradidit Chriſtus, ut attriti duntaxat, puta, objectis à fide terroribus icti, aut, ùt ſeveriſſimæ Theologiæ placuit, qualicunque ſcintillâ divini Amoris ſuccenſi, rediremus in gratiam? Nempe Iſraëlitæ, niſi ſincerè ament, jaceant ſemper; Chriſtiani verò, ſi metuant, ſuccollante Sacramento, reſurgant; & erit deinceps, qui jactet, Eccleſiam inædificatam Charitati, Terroribúſque ſubſtructam Synagogam? Quibus in hunc modum conſtitutis, cui de Pauli mente non liquet? cùm diceret: *Non accepiſtis*

ſpi-

spiritum servitutis iterum in timore? Potuítne ille tot terrorum moles, quas à charissimo Magistro suo, veluti novæ legis fortissima propugnacula, passim in Evangelijs omnibus erectas videbat, eversum ire, solóque æquare voluisse? Quod si alienũ est ab Apostolo profectò non aliud improbatum ab ipso in Timore fuisse putandum est, quàm Hebræorum illud abjectum sordidúmque cupiditatis genus, haud aliàs formidare doctorum, quàm cùm Ægyptiorum telis corpora ipsorum foderentur, & à locustis vastarentur segetes. Hoc genus formidinis, Christianis pectoribus indignum, aversabatur Apostolus, nec passus est, in ijs mentibus exercere Tyrannidem, in quibus regnare Crux debebat, conculcatô Orbe terrarum, & Christi nascentis morientísque nuditati consecratô. Cæterùm nulla est pagina Gentium Doctoris, quæ non immedicabiles plagas, & certa supplicia peccantibus interminetur. An enim non medio Corinthi foro supremi Judicij formidabile Tribunal erexit? *Omnes enim Nos manifestari oportet* 2. Cor. 5.11.

AN-

ANTE TRIBUNAL CHRISTI, *ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Scientes ergo* TIMOREM DOMINI HOMINIBUS SVADEMUS. An ab alterius manu propinati sunt ijs ipsis Corinthijs amarissimi ingratissimíque liquores illi, qui ad eos perpurgandos, eluendásque pristinæ superstitionis maculas, Timoris torculari expressi sunt? *Mundemus nos ab omni* 2. Cor. 7. *inquinamento carnis & Spiritûs, perficientes* SANCTIFICATIONEM IN TIMORE DEI. Quâ sententiâ manifestè demonstrat Apostolus, non vulnera solùm à sancto Dei Timore obduci, planéque persanari, verùm etiam elaborari cœlestes coronas, utique quem, velut ultimam manum, absolutæ penitúsque consummatæ virtutis appellat. PERFICIENTES SANCTIFICATIONEM IN TIMORE DEI.

66. At enim, inquis, quotquot egregiâ sanctitatis laude floruerunt, per felices illas stratásque gemmis Amoris vias incessêre. Equidem his quoque (haud

enim

enim unquam id improbatum mihi fuit) institerunt, ità tamen, ut altero pede angustas Timoris semitas, colléſque Draconibus obſeſſos, peragrarent. Age enim, Dositheum tu integerrimâ vitâ fuiſſe negabis? Hic tamen quid aliud, præter infernum carcerem, vel mente verſavit, vel ore proloquuus eſt frequentiùs, præter ſolemne illud *Volo ſalvari?* An Hieronymo ſanctitatem dices defuiſſe? haud equidem arbitror. An autem ille cibum ſumpſit unquam, aut ſitim reſtinxit frigidâ, quin Angeli Tubæ, redivivos ad Judicium, reóſque ad pœnam citantis, ſonitu, membris omnibus contremiſceret? Quem mihi dabis charitatis igne ardentiorē Nazianzeno Gregorio? Hic tamen neque cubitum concedere, quin metu obrigeſceret, nec ſtrato conſurgere, ſacríſque indutus veſtibus accedere ad aram ſolitus fuit, quin altiſſimas Æternitatis voragines, Timore duce, intraret antè, quàm ad exequendum Pontificum munus, & ad litandum aſſurgeret. Fidem non inveniret, qui hæc de Viro tam inſignitæ ſancti-

ctitatis, tam illibatæ vitæ, mentis tam celsæ, diviníſque rebus penitus innutritæ, litteris mandaret, nisì manu ipsius consignata legerentur. HIC ME TIMOR, ait ipse Oratione decimâ, EXAGITAT, HIC DIES NOCTESQUE MECUM VERSATUR; *nec me liberum Spiritum ducere ſinunt, hinc futura Gloria*, HINC FUTURUM TRIBUNAL. *Illam appeto*, HOC AUTEM HORREO. Quid vos ad hæc? Hi ſanè novæ Legis Heroës, triumphaléſque Imperatores fuêre, non aliqui de Synagogæ fugitivis mancipijs. Quid igitur negabitis, an ſanctiſſimos extitiſſe? at habentur ab Eccleſia, adorantúrque: an timore vacâſſe? ſed dormientés metu contremiſcunt, veſcentes exanimantur. Quis igitur noſtrûm Timoris adminicula poſthac aut negliget, aut vili pendet? ſi Jobos, Doſitheos, Hieronymos, Nazianzenos; hoc eſt: ſi Patriarchas, qui laudum ſuarum præconem Deum habuêre; ſi Anachoretas, ſolitudinum lumina; ſi Populorum Rectores ac Magiſtros, quos Roma colit; ſi

Orat.10. To. 115. 93.

An-

tiſtites, quos Religio conſecravit; ſi prodigia fortitudinis, Exemplaria virtutis, Doctrinæ oracula, cœleſtium præceptionum Angelos, Legis cúſtodes, Evangelij Tutores, amplificatores fidei, ſanctiſſimæque Trinitatis propugnatores, metus exercuit, horíſque omnibus agitavit.

67. Neque Beatorum modò Cœlitum præcipui, dum apud nos agerent, Timoris ab ubere labra removere auſi ſunt unquam: verùm inflammatiſſima quæque charitate ſanctitas inardeſcere illius frigore conſuevit. Cedò enim, habétne Chriſtiana religio actionem ullam ſuâpte naturâ, ſeu, ùt Theologi loquuntur, *ex objecto* magìs arduam, difficiliorem, digniorem Martyrio, cui ſcilicet cætera opera omnia, licèt ſanctiſſima, palmam cedunt, præmiíque primas partes ultro remittunt? An non ſupremus hic Amoris apex eſt? ſupra quem, niſi ſi fortè tam ſublimem virtutem major vis animi, ardoríſque inter homines inuſitati vehementia, transcendant, plerumque non ſunt quàm imaginaria ſpatia charitatis?

De

De illa utique Christus pronunciârat : MAJOREM HAC DILECTIONEM NEMO HABET, *quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Lubeat modò metiri tantæ altitudinis Turrim, & quæ Gigantum conatibus superior, non ad cœlum duntaxat attollitur, verùm inter ipsos quoque cœlites dignitatem, honoréſque præcipuos promeretur (siquidem fortissimæ mentes desiderij magnitudine, actuúmque interiorum præstantiâ, fastigium ejusmodi non superârunt) lubeat, inquam, inspicere, quibus artibus erigatur, quóve scopulo innitatur. Longus apud Matthæum cruciatuum, quibus in Doctrinæ suæ sectatores sævitura impietas esset, à Servatore catalogus texitur: absoluto subindè tormentorum syllabo, ut ad eorum patientiam discipulos animaret, quô maximè usum fuisse argumento existimatis? Equidem putabitis, expositis singillatim Divinæ Naturæ dotibus, pro quibus asserendis vitam plerumque ponunt, qui Lictorum secures excipiunt, & Tyrannorum imperio rotis illigantur, ad patran- *Ioan. 15. 13.*

dum fortiſſimæ Charitatis facinus excitatos ab eo fuiſſe. Quis crederet? Apoſtolorum cogitationes demittit ad Inferos, & Tartarei ſtagni olidiſſimum ſulphur puriſſimis Amoris flammis ſubminiſtrat, parátque unà præſidium. En denunciatorum cruciatuum Epilogum! *Nolite timere*
Matth.10.28 *eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum*, QUI POTEST *& animam & corpus perdere* IN GEHENNAM. Viden'? ùt puriſſimum ſacrarij Thymiama, media Inferorum in pice atque bitumine, ardeat, utque Amorem Timor ſervilis exſtimulet, cujus quidem catenas charitas abrumpit, cùm coronam ſibi imponit, ac Deum, non ſupplicia reſpicit. Et erit nihilominus, qui futurorum ſucceſſuum memoriam probro ſibi ducat, quando eam Auctores graviſſimi, virtutis fundamentum appellitant atque principium? quando eam ſanctiſſimi quique virorum, veluti vitæ præſentis Cynoſuram, diu noctúque ſuſpexerunt? quando ea nos omnes, qui hìc ſedemus, ad faciendam totius Orbis jactu-

ram

ram hortata eſt, impulítque? quando Corinthijs Neophytis, & Carthaginenſibus Chriſtianis, tum à Cypriano Epiſcopo, tum ab Apoſtolo Paulo, tanquam obſes Martyrij data eſt? quando denique Chriſtus ipſe Diſcipulos ſuos inſpicere Damnatorum carcerem juſſit, congreſſuros cum Neronibus, & cum Claudijs luctaturos? Erit, inquam, poſthac ullus, qui cùm audiat ſanctum Dei Timorem Fundamentum nuncupari ſalutis, & baſim dici divini Amoris illius, qui, quòd pro Dei gloria vivere deſinit, incrementum capere jam nullum poteſt: audeat illum, ceu non magnopere neceſſarium parandæ virtutis inſtrumentum, non magno in pretio habere, aut forſan etiam flocci facere; ratus, eas eſſe renatorum nuper in Chriſto infantium cunas potiùs, quàm aut vitæ perfectionem adepti thronum, aut pennas volantis ad Deum? At nemo cordatus non intelligit, in hoc ad perfectionem itinere ità prorſus incedendũ eſſe, ùt Iſraëlitarum quondam populus, per aſperã vaſtámque ſolitudinem peregrinatus eſt,

igneâ per noctem columnâ conterritus, & roſcidâ nube recreatus per diem. IN
Lib. 2. 10. Reg. To. 25. 29. IGNE *igitur*, *&* IN NUBE *per deserta gradientibus Dominus apparet.* Amemus ſanè, monet Gregorius, ſed pariter timeamus, neque ullum abire diem patiamur, quô non flammæ horror animi metum inſtauret. Nubis enim amœnitas tepórque, ſi Columnæ ardoribus careat, non recreat Charitatem, ſed Timorem conſopit. Illud ſubinde animadverti velim, conſecratos Divinitati dies, in ejus faſtis, non ab Aurora deliciarum, ſed à nocte Terroris incipere. *Factúmque eſt* VESPERE,
Gen. 1. 5. *& manè Dies unus.*

68. Quòd ſi verò Sancti Timoris exercitationem, divini Amoris uſu, temperare aliquis nequit, is, ſi me audiat, umbræ ſolatium refugiat, & flammæ ſibi ardorem intendat, quando utrumque tenere ſe poſſe diffidit. Ea quippe ſemper mihi erit in ore ſententia: quiſquis ad conſummatæ Virtutis faſtigium aſpirat, is eò geminis alis, Charitatis videlicet atque Formidinis evolet: aut ſi vires non patientur

tur utramque explicare, nitatur alterâ, ſeponátque tantiſper Amorem, certò certiùs reſumendum, ſi modò ſuæ Timori pennæ conſtent, quæ ubi ſemel exciderint, difficulter, atque admodum rarò, reparantur. Inhæreat infixum ſemper memoriæ Axioma illud, quod per Africam à Tertulliano primis ſtatim Eccleſiæ temporibus vulgatum, & à me non ſemel in hac allocutione laudatum eſt: *Timor fundamentum Salutis eſt* Citra colorum illecebras, citra marmorum pompam, citra Encarpiorum coronarúmque ornamenta conſiſtere Domus poteſt, & à cœli injuria hoſpites ſuos defendere: atqui ſinè fundamento neque domus Neronis aurea, nec Achabi eburnea, ſtare, nè momento quidem, poteſt, quin protinus collabantur, & in lapidum cumulum ſubſidant. Idem ego omnibus, qui Religioſorum Ordinum Golgotham incolunt, inculco: Citra amabiles gemitus, & familiaris cum Deo neceſſitudinis beata ſuſpiria, hærere in Cruce, aliquanto ſaltem tempore, poſſumus. At id ſcilicet haud obtinebimus,

mus, nisi Mortificationis clavo, Timoris malleo, adigantur. Etiam, qui non amat, si modò timeat, revocare amorem, ejúsq; odoratos carbones denuo inflammare potest. At verò si Terroris incendia in pectore religioso, seu oblivio, seu incuria, exstinxerit, nullus deinceps aut follis superest, aut materia, quâ vel revalescant, vel foveantur. Cujus Philosophiæ nobis Academiam pandere Hortus domesticus potest. Ineunte Majo Malum aureã, quam maximè floruisse videris, resecato, & in hanc aulam, suaveolentissimam arborem, depangito. Atque illa quidem florum gratia primo die ridebit amœnissima, altero contractis in rugas folijs terrebit magis, quàm oblectabit; subinde nuditate suâ foliorúmque jacturâ offendet, denique sordibus pavimentum opplebit. Quid? quòd rigata quoque aquis, solísque caloribus fota, nec florem, nec frondem germinat. At verò truncus ille relictus in terra, ramis omníque ornamento destitutus quidem, sed fibris retentus, primo vere revirescet, pensatóq;
inju-

injuriæ damno, in novos ſurculos erumpet, in alios ramuſculos pullulabit, floribúſque ac pomis onerabitur denuo. Equidem eorum, quæ diximus, fingi paradigma nequit vel accommodatius, vel fidelius. Sanè quotieſcunque intelligo, commendari quempiam ab egregio in virtute profectu, qui nullis Judiciorum divinorum radicibus nixus, affectatam interim modeſtiam, emendicatámque alacritatẽ oſtentet, totis artubus contremiſco. Huic enim ego jam nunc denuncio, futurum brevì, ut adeò exareſcat, ut nè ſpeciem quidem virtutis ac Diſciplinæ, quam vel ſimulabat, vel, quando ità vis, repræſentabat, ſit retenturus. Contrà, qui altas ſolidáſque in æternorum ſuppliciorũ meditatione radices jecit, indéque aſſurgit, licèt aliquantò tardiùs in Amoris thymiama, & lachrymarum rorem reſolvatur, id tamen ſubinde conſequetur, planè ùt Arbores ritè plantatæ, à primis annis flores, ac ſubinde, ſuo quæque tempore, fructus edunt. Quàm multos reperire eſt, qui, cùm primis menſibus inutiles trunci

habentur, quòd non tam citò ad conſectandos Legum omnium apices, id quod proprium perfectorũ eſt, aſſurgant; ſubinde tamen è meditatione rerum æternarum concepto vigore, alacres vividíque æquales ſuos antevolârunt, majores æquârunt, & Virtutis voluntariæque aſperitatis exemplaria ſunt effecti! Id quod in unoquoque noſtrum ſperare licebit, ſi, Corinthiorum exemplo, divinæ Juſtitiæ reverentiæ aſſueverimus. Atque eam ob rem idem ego de illis, quos ſuſpicio, dicam, quod Apoſtolus de ſuis, quos erudiêrat, pronunciavit: *Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis*, QUIA IN OMNIBUS DIVITES FACTI ESTIS *in illo, ità ut nihil vobis deſit in ulla gratia*, EXPECTANTIBUS REVELATIONEM *Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Quiſquis Timoris gladiũ infixum pectori geſtabit, is & vertice geret Charitatis diadema, & manibus Innocentiæ lilia præferet. Timeatur proinde Deus, qui, potentiam ſuam reformidantes, præſenti ſemper præſidio tuetur, & à ruina prohibet. *Ecce oculi Domini ſuper*

ME-

METUENTES EUM, *ut eruat à morte animas eorum.* Qui hanc mortem effugit, is Christo vivet, ac Deum videbit. *Psal. 33. 18.*

EXHORTATIO XLII.

In Pervigilio Pentecostes.

Sapiens Mulier ædificat domum suam: insipiens, exstructam quoque, manibus destruet. *Prov. 14.*

QVi novam in Christo vitam religiosas intrà ædes auspicatur, oleum operámque perdit, nisi pravarum consuetudinum fibras omnes è corde revellat. Has autem ij duntaxat tollunt, qui suimet severi Censores ultro sese abijciunt, & cupiditatibus suis nunquam non adversantur. Id autem eô mentis ardore ala-

critatéque præstandum est, ut Virtus in naturam transeat, & Crux animi nostri animus evadat. Ac licèt Societas filijs suis unum alterúmque annum in id opus, eámque mutationem attribuat, nisì tamen quis primis statim mensibus se vincére cæperit, nunquam is cupiditates suas debellabit, neque Virtutis consummatæ palmam referet. Quare nè Jordanem imitemur, qui tamdiu aquas suas repressit, dum in alveo suo Arca consisteret, ac subinde ijs pristinum cursum redonavit; alabastro nos potiùs Crystallóq; similes præstemus, quæ cùm è congelatis aquis in lapides pretiosos se semel duraverint, eam naturæ constantiam perpetuò servant, neque posthac in veterem mollitiem resolvuntur.

69. Pri-

69. PRiuſquam Spiritus ſanctus in Fidelium corda cœnaculúmque Hieroſolymitanum deſcenderet, præcipua quæque Eccleſiæ Capita caſas habitabant fragiles adeò, tenuéſq;, ut omnis eas ſtilla diſſolveret, quælibet aura proſterneret. Vox una Mulierculæ, Collegij ApoſtoliciPrincipem maximum, commovit adeò, ut Meſſiam ejuraret, tum vel maximè laborantem, ut eum Dæmonis vinculis exſolveret, & ſummum ſacrorum Pontificem coronaret Thomas deinde de ReſurrectioneDivinitatéq; Chriſti ambigens, incertúſque clamabat: *Niſi videro, non credam.* Quid de Iſcariota dicam? qui triginta nummis venditum Magiſtrum, Phariſæorum furijs transſcripſit. Cæteri novem, ad primum Judaici ſatellitij conſpectum, turpiſſimo metu in fugam acti, plebis injurijs, militúmque catenis, Deum prodidêre. Univerſi denique in cœnaculum abſtruſi, propter metum Judæorum, nec auſi vel verbulo Præceptoris cauſam defendere, vel pro Evan-

Evangelio palàm ſtare. At ſimul ac divinus ignis in Sionis Sacrario fulſit, ſimul tuguriola illa, paleis ramalibúſque intexta, in Adamantinas turres converſa fuêre, nullis neque turbinibus, neque machinis ceſſuras. Quô factum eſt, ut qui nuper ſcribarum ſibilos expaverant, jam, Prætorum tonitruis, majore tonitru obſtrepeperent, & Cæſareorum juxtà Pontificiorúmque edictorum ingratijs palàm in foro, regalibúſque in ædibus teſtarentur, Patris ad dexteram reſidere, imperaréque Hominem illum prodigioſum, quem illi, divinis pariter humaníſque legibus conculcatis, duobus medium latronibus, Cruci ſuffixerint. Quâ conſtantiâ confirmati, flagra, exilia, catenas, ſecures, mortem denique ridebant, liberíſque vocibus Chriſtum, Regem Regum, Orbíſque Conditorem, proclamabant. Ad hanc longè nobiliſſimam mutationem, quæ malè ſarta mapalia, rudéſque caſulas in triumphales, inexpugnabiléſque arces convertit, omnes provocamini, quotquot hìc Apoſtolorum ſucceſſores adoleſci-

ſcitis, ſingulorum frontibus angelicâ manu epigraphen illam inſcribente: SAPIENS *Mulier* ÆDIFICAT DOMUM SUAM. Quo quidem in ædificij genere multò vobíſcum, quàm cum Cœnaculi inquilinis, feliciùs agitur. Quippe, cùm illi primis ſtatim diebus, quibus religioſos eos cætus celebrabant, luteas animorum ſuorum domos, ventorum quondam fluminúmque ludibria, in propugnacula vivô ſaxô educta, tempeſtatibus pelagóque inſuperabilia, commutare debuerint, vobis ſatìs eſt duorum annorum ſpatio, quibus Tyrocinium ponitis, ac totidem proximè ſubſequentium, qui vos à publico communíque conſuetudine abſtinent, invictæ fortitudinis Turres erexiſſe, quæ cupiditatum noxiarum impetus reprimant, Dæmonémque, omnis veſtri profectûs virtutíſque tum invidum, tum impatientem retundant, longéque ſubmoveant. Et ille quidem victus fugatúſq; diſcedet, vos autem triumphabitis, ſi ſpiritualem hanc molem, è divinæ Architectonicæ præſcripto, quæ videlicet omnis

ad

ad geminum caput revocatur. Nempe diruenda vobis priùs veteris ſabricæ rudera, quàm novæ molitioni manus admoveatis, ídque veſtrô Marte, nullâ alienæ operæ fiduciâ præſtandum eſſe. Utrumque in præſentia exponendum ſumpſi, quando laudatâ ſententiâ utrumque continetur: *Mulier ſapiens* ÆDIFICAT *domum ſuam.*

70. Fieri nequit, ut ſolida fundamenta jaciantur Ædis magnificæ, niſi ab immoto uſq; intactóq; ſolo terra refodiatur. Subinde quicquid erutum eſt, vel ruderum, vel glebæ, id omne procul removendum, fluvióque demergendũ erit: alioquin omnis, quæ relicta eſt terra, ſeu fœcunda illa, ſeu ſterilis ſit, parietibus molíque attollendæ officiet. Quare qui in animo ſuo vivum Deo templum, omnibus exornatum virtutibus, quæ verum Dei ſervum Evangeliíque Præconem abſolvunt, moliri decrevit, omnem vel minimam pravorum motuum materiam à ſe procul rejiciat. *Mulier ſapiens* ÆDIFICAT *domum ſuam.* Id ſcilicet à Jeremia Pater æternus popoſcit, cùm palàm, quid-

quid

quid esset ruinarum, inutilísque glebæ, funditus jussit priùs eruere, quàm venerabili Religionis moli, nova è quadrato lapide fundamenta subijceret. *Constitui*, inquit, *te hodie*, UT EVELLAS, ET DESTRUAS, ET DISSIPES, *& ædifices, & plantes.* Ierem. 1. 10. Quô edictô comot⁹ Origenes, prono in humum corpore supplex, multísq; cum lacrymis, à SS. Triade contendit, velit, jubeat, pectus suum ab omni fœditate, seu veterum noxarum, seu congenitæ cupiditatis, emaculari, ut, eâ ratione purgato disjectóque Chaldæarum parietinarum bitumine, novam à gemmis Sionem, perpetuo Dei cultui, consecrandísque victimis destinatam, immigrare sibi liceat. *Vtinam Dominus de mea anima eijciat* PRIORA MALA! *Sic enim potero effici in Civitatibus filiorum Israël. Etiam nunc uniuscujusque Animam Iesus* DESTRUIT, *& ædificat.* Hom. 15. in Ios. To. 41. 103. Quòd si ergo in animis nostris, vel consanguineorũ amor, vel ambitionis, vindictæ, voluptatúmq; cupiditas, superfuerit, nunquam committentur lapides, dignum Christo sacrarium

rium in cordibus noſtris conſtructuri. Idē prorſus Apoſtolus Colloſſenſibus denunciavit, fieri ſcilicet nullâ ratione poſſe, ut Apoſtolica moles exſurgat, niſi altè refoſſâ terrâ, ſabulóque ſubmoto. Et quoniā eum laborem plerumque nec Architectator, nec Dominus domûs ſibi ſumit, ſed fabris mercenariíſque Operis, egerendæ materiæ provinciam mandat, hinc Paulus, ut laboris ejuſmodi neceſſitatem demonſtraret, eorum primùm ad exuendos pravos animi habitus operam, tùm ſummam in ea re per ſe ipſos accuranda ſedulitatem requiri: itaque, permutatâ nonnihil allegoriâ, exclamat: *Exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, &* ad Coloſſ. 3. 9. *induentes novum, qui renovatur in agnitionem.* Vos, qui Apoſtolicum vivendi genus ſecuti eſtis, vos, inquam, exuto veteri homine, novum vobis induere debetis, neque quiſquam ſperet, id per eos, qui præſunt, præſtari poſſe. Inepta proinde illorum oratio eſt, qui Præſidum manum ad caſtigandos motus ſuos advocant, & animi facultates, corporíſque ſen-

ſenſus, ad ſanctitatem ſibi fingere velint, inclamant. Argumento enim eſt, planè neſciri, quid à filijs ſuis religioſa profeſſio requirat. Veſtrum eſt efficere, quod deſideratis: tum quia parùm diuturna ſanctitas foret, quam vel monitorum efficacitas commodâſſet, vel objurgationum vehementia vobis impoſuiſſet: tum quòd minimè gnarum eſt Duci veſtro, quinam potiſſimùm affectus frenô cohibendi, & ubi naturæ contumacis caput conterendum ſit. Procul à vobis abeſt Moderator, cùm, in conclavi ſedentibus & Sanctorũ geſta recolentibus, vel Sodales in ſeculo relicti, vel feræ in retia actæ, vel admotæ à Matre illecebræ, vel Magiſtratus à Patre promiſſi, occurrunt: quarum rerum memoria cùm animum obturbat, & in diverſa diſtrahit, niſì vos ipſi, ſublatâ in Deum cogitatione, peſſundetis, nihil vos Regentium ſolicitudo juvabit. Ità, ſi quando domo egreſſos, curioſitas ſollicitat, ea, quæ non oportet, vel cum offenſione eorum, qui oculos in actiones veſtras intentos habent, intùendi, niſì ve-

recundia vobis palpebras demittat, humíque defigat, quâ ratione oculos vestros custodiat, qui suos dudum à vobis avertit? Idem vos dicite, sive in mensa cibus apponatur palato ingratus, seu per viam maledicta jaciantur, seu, ad portam evocatis, prava consilia suggerantur, seu denique à Dæmone, precum ardor, lachrymæque inter sacrificandum profusæ, fœdis imaginibus interpellentur. Quarū tempestatum fluctus nisì vos ipsi comprimatis, palàm est, necquicquam aliunde, nec nisi tardas omnes infructuosásque suppetias expectari. Apostolo igitur obtemperemus necesse est, omnium auribus ingeminanti: EXSPOLIANTES VOS *veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum.* Id porrò, quod hactenus de pravis animi motibus, qui identidem renascuntur, & privatâ vestrâ fortitudine vinci debent, disserui, idem de virtutum paratu, quô instrui sanctitatis cupidos par est, cogitare vos cupio. Quemadmodum enim vestrum est, sordidos infectósque centones veteris hominis deponere; sic ad

ad vos qnoque ſpectat, elegantes opulentáſque chlamydes, proprijs manibus texere, auro gemmíſque diſtinguere, quibus novum exornetis: ut ſcilicet nullo non loco vim vobis inferatis, motus omnes ſanctitati conſecretis, deſideria omnia divino Amore coronetis, vóſque ipſos in Cherubinos, Dei throni perpetuos ſtipatores, conformetis: ut adeò Virtutis Magiſtri vobis ipſis effecti; quicquid in moribus incompoſitum, è veteri conſuetudine fortè repullulat, ſeveri Catones caſtigetis, &, veſtri ipſorum Duces, ad editiſſima æternorũ montium faſtigia contendatis.

71. Et quamvis videri poſſim alicui, prolatis modò Axiomatibus, altiſſimam quamque, tum Solitariæ tum Religioſæ vitæ, Theologiam complexus fuiſſe, vix tamen vel in prima Virtutis elementa digitum intendi, niſi abdita laudatæ ſententiæ arcana paulò penitiùs rimati fuerimus. Redordiamur proinde, ac Apoſtolicum monitum, Coloſſenſibus datum repetamus: *Exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis.* Nulla hìc ſyllaba

mysterio vacat. Et primùm quidem Metaphoram, quâ Paulus utitur, expendi velim. Certè qui exspoliatos nudatósq; Auditores requirit, arcet is proculdubio à ludo suo Tyrones illos, qui in edomandis pravis actionibus sudant, anhelant, & propemodum exanimantur. Video interdum ex hujus Domûs alumnis nonneminem, qui sensuum quidem placita repudiet, desiderijs suis adversetur, corpúsque tum laboriosâ paupertate, tum varijs asperitatis religiosæ armis, discruciet. At enim id interdum corrugatâ pallidáque fronte, suspirijs, gemitibus, summóque mentis fastidio aliquis præstat. Id quidem non est exuere se, sed decorticare. Sane nisì in beatissimæ hujus severitatis exercitatione parem facilitatem experiamur, quâ quis, solis radijs ustus, gravem, rusticanóque è panno bardocucullum ex humeris solet rejicere, haudquaquam Doctori Gentium morem geremus, promptitudinem alacritatémque in abolendis seculi moribus, quibus insuevit, ab Auditoribus suis postulanti: *Ex-*

pe-

ſpoliantes vos veterem hominem. Abſint lachrymæ, lætitia imperet, gaudia non luctus reſonent, triumphus non ſervitus reputetur, quoties antiqui Serpentis inſidias calcamus, & generis nobilitatem virtutis ſub jugum mittimus. EXSPOLIANTES *vos veterem hominem* CUM ACTIBUS SUIS. Atque hoc edicto Ægyptus omnis mari rubro demergi jubetur, nullo, nè minimo quidem, ambitionis aut libidinis ſemine ulla in animi parte relicto. *Veterem hominem cum actibus ſuis.* Cui imperio nisì per omnia, qui cœleſti Aratro manum admovit, innitatur, miſerabilis ruinæ, turpis transfugij, & à præclarè cœptis, per ſummam perfidiam, deficiendi certo periculo ſe exponit. Neque verò ullam augurijs meis fidem haberi cupio, nisì rebus in Thebaide geſtis, quas intentavi, minas confirmem. Celeberrimus Abbas Moyſes, veluti Caſſianus refert, Anachoretas ſuos monuit, evenire non raró, ut, qui dimidium ſeculum in ſpeluncis exegerant, in impotentem iram, gravéſque querimoni-

as prorumpant, si quando vel acum amiserint, vel à Præside stylo tabulísque privati fuerint. PRÆDIORUM MAGNIFICENTIAM CONTEMNENTES. VIDEMUS *pro scalpello*, PRO ACU, PRO CALAMO COMMOVERI. *Nam plerumque nonnulli tanto Zelo codicem servant, ut eum nè leviter quidem legi, vel contingi ab aliquo patiantur, & inde occasiones impatientiæ* AC MORTIS INCURRANT. Quantacunque in mente nostra vel abjectarum opum imago exstet, vel in visceribus glíscat scintilla cupiditatis, amorísque in exiguas illas reliquias, quæ ad vitam tolerandam necessariæ sunt, conclamatum de profectu nostro, & pax omnis sublata est. Equidem Oceanus in fluct⁹ neutiquam intumescit, neque tempestates ciet, nisi Aquilonum Austrorúmque violentis flatibus impetatur. Sed animi tranquillitatem omnis aura pervertit, involvítque turbinibus: *Pro acu, pro calamo commoveri.* Atque utinam quædam non penitus edomitæ cupiditatulæ nos jactarent duntaxat: nunc verò

Cokat. 10. c. 6. To. 48. 115.

ad

ad naufragium & desperationem nos adigunt : *Vt inde occasiones impatientiæ* AC MORTIS *incurrant.*

72. Et quando Mortis omnibus, qui cupiditatum suarum qualemcunque fervorem non penitus exstinxerunt, imminentis memini : facere non possum, quin latæ à Paulo legi intercedam, ejúsque doctrinæ, de spolijs traditæ, me opponam. *Exspoliantes veterem hominem.* Non enim ad consequendam sanctitatem satìs est, pravarum affectionum venenatam vestem diffibulâsse. Detractam nãq; corpori tunicam in cœnum abjicere, atq; insuper insultare abjectæ, nil vetat, quin subinde resumat, emaculet, sibíque denuo circumdet. Ac proinde quisquis, exclamo, semet exspoliat, sanctitatem non induit. Id eò fidentiùs denuncio, quòd idem Christianis Paulus edixerit. Ipsum quoque advertit, satìs haud esse, spiritualem quampiam aversionem à pravis moribus, quos cum lacte suximus, nisì aversio in odium aucta, immani eos carnificinâ rapiat laniétque. Aliam proinde se-

veriorémque Colossensibus ijsdem Philosophiam aperuit, & qui nihil ultra spoliationem desideraturus videbatur, exstingui subinde consuetudines pravas, atque internecione deleri jubet. Audite mortuorum ossa quatientem, atque è sandapila tonantem Paulum: MORTUI ENIM ESTIS, *& vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* Et profectò, qui nos cadaveribus similes cupit esse, is non modò à vitijs alienos postulat, sed, toto orbe divisis, imposterum omnem ad ea redeundi facultatem penitus adimit. Qui enim vitâ functus in sarcophago jacet, neque, clausis videlicet oculis, rem ullam aspicit, neque posthac unquam aspiciet, donec ad generalem corporum Anastasim Angeli tuba vocaverit. Sic nec verbum profert, nec proloquetur, nec audit nec audiet, nec passum promovet promovebitve, sed arrosus à vermibus corruptúsque, nè manum quidem, pedem, linguámq; retinet, ipsâ quoque facultate, nedum actione, spoliatus. Talis sit, oportet, quisquis se vitæ melioris desiderio religio-

Col. 3. 3.

ſis tabernaculis ſacravit. Nec enim ſatìs eſt, nihil ab eo vel honoris, vel voluptatis, aliarúmque rerum, quas Deo devovit, repoſci, niſi facultatem ſibi adimat, eas unquam appetendi. Haud eſt ſatìs, lapides, ſagittas, injurias pacato animo excipere, niſi primos quoque iræ atque impatientiæ motus anteverterit, non modò non victus, ſed neque tentatus. Parùm foret, ultimam in convivio ſedem æquo animo premere, nisì felici quapiam paralyſi contactum ſe profiteatur, aſcendendi ſuperiùs, non incurioſus modò, ſed invalidus. Breviter: nisì Religioſus in conſecratarum Deo familiarum Paradiſo, cadaveris in modum, jaceat, non modò vetitorum fructuum non appetens, ſed nè apprehenſorum quidem potens aut capax, non eſt is ſecundi Adami germana proles, qui manibus Cruci affixis, oculíſque in mortem clauſis, modum præſcripſit, quô vitam ageremus cupiditatibus vacuam, noxiorúmque votorum prorſus expertem.

73. Quis verò ſenſus erit vobis, quæ mens, ſi demonſtravero, majus quoddã

ſublimiúſque virtutis, ipsâ, quam ſequimur, vivendi ratione, à nobis poſtulari? Enimverò vulgare nimis, vel priſcis Academicis Stoicíſque, haberetur noſtrum hoc vitæ genus, ſi nos vitijs liberos gloriaremur, virtutémque, cruentis prælijs partam potiùs, quàm lætâ pace retentam, jactaremus. Exigua, quin periculoſa hæc morum ſanctitas foret, quippe quam vel æternorum ſuppliciorum metus, vel præmij ſpes conſervaret. Nam qui pugnat, vincit aliquando, interdum vincitur, & plerumque, qui ſingulari certamine cum hoſte congreditur, licèt adverſariorum pleroſque proſtraverit, ad extremum & ipſe gladiatori jugulum præbet. Contemno laudem illam, quâ interdum Tironum ardor à Magiſtris commendatur. Viden', inquiunt, hunc ſui ipſius victorem? viden', ùt, alter Samſon, Philiſthæos proſternat, nec ullam in ſe adverſantem Arcæ cupiditatem vivere patiatur? Ridere ſoleo ejuſmodi encomia, imò deflere tantam victoriæ amplificationem. Ain', tu verò, Novitium de ſe ſibi tro-

phæa

phæa ſtatuere? Igitut vim ſibi faciat, nec ſinè vehementia cupiditatibus ſuis obluctetur oportet. Igitur affligandi, ſeque premendi ſtudium, mundi contemptum, Sacrarum litterarum, Evangelij, Crucis amorem, nondum ità in naturam vertit, ut ſinè contentione armorum, ſinè vigiliarum præſidio, ſecurus lætúſque, in Virtutis exercitatione ac Crucis imitatione, triumphet. Vereor ſanè, nè, qui ſimili luctâ ad Virtutem ſibi viam ſternit, in oculis Dei vitio non careat, & à turpi defectione propè admodum abſit. Confirmat hos meos metus id, quod capite quinto in Joſue hiſtoria legimus eveniſſe. Circumciſus fuerat exercitus Hebræorum ad ſacrorum rituum amuſſim: neque ideo tamen hæc Tribuum religio laudem à Deo promeruit. At verò cùm, obductâ vulneribus cicatrice, convaluerunt agmina, & in ordines aciémque, viribus integris, confirmatóq; robore iverunt, tùm deniq; conſecratos, & ab Ethnicorum contagione ſecretos, prædicavit Numen. HODIERNO DIE *abſtuli opprobrium AEgypti* *Ioſ. 5. 9.*

à vo-

à vobis. Donec Iſraëlitas vulnera in ſtrato detinuerunt, donec dolorem cataplaſmate balſamóque mitigârunt, patienter quidem ferentes acerbitatem plagæ, ſed mœſti, ſed otioſi, ſed nullam aut brachijs haſtam vibrantes, aut vertice galeâ protecto, Incircumciſis adnumerati fuêre. Adeò verum eſt, à Sacroſancta Triade commendationem haud promereri Virtutem, quæ ingemiſcat, nec priùs, quàm exporrigere frontem, animum ſerenare, triumpharéque gaudio cœperit, ab Angelis coronari. Hinc colligat unuſquiſque, quæ ſua integritas ſit, cùm non niſi laborioſiſſimis certaminibus, ſummáque animi contentione ſibi conſtiterit, immuníſque à labe ſervetur. Sed Origenem audiamus, mirabilis, ſed veriſſimi, effati Auctorem graviſſimum: *Circumciſi autem Filij Iſrael requieverunt in caſtris, uſque dum ſanarentur. Tunc dixit Dominus ad Ieſum: Hodierno die abſtuli opprobrium AEgypti à vobis. Non enim ſufficit nobis,* CIRCUMCIDI, *ſed & poſt circumciſionem,* SANARI. *Circumcidi per IEſum eſt, malas conſue-*

Hom. 6. in c. 5. Ioſ. To. 41. 66.

tudines deponere. Sed hoc cum in initijs facimus, IPSA NOVITATIS DIFFICULTATE CONSTRINGIMUR. *Tunc verè ſanati dicimur*, CUM VITIJS CARENTES, VIRTUTES NOVO USU VERTIMUS IN NATURAM. Miſerum te, qui, vel ad divinarum rerum contemplationem injectâ manu trahendus, vel ad decurrendum religioſæ perfectionis ſtadium, palmámque Apoſtolicæ virtutis referendam, ſtimulis vel à teipſo fodiendus tibi es! Brevì enim is eris, qui fuiſti, nec eris, qui es.

74. Cujus rei tam neceſſariæ ut documentum capiamus, age, atque ad Jordanis rîpas unà mecum proficiſcere. Is animadverso, Arcam Sacerdotéſque attigiſſe undas ſuas, dimiſſis continuò, quæ defluxerant, aquis ad oſtia, venientes ſuſtinuit, &c, in altiſſimos montes erectus, ſiccum incedentibus populis alveum relinquens, novo ſanè atque inaudito prodigij genere, procul intuentes ſuſpendit, quòd, ſcopulorum inſtar, durati fluctus, nè guttam quidem nativo curſui permit-

Jos. 3. 16. terent. *Steterunt Aquæ deſcendentes in loco uno, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant procul ab urbe, quæ vocatur Adom.* Et aliquamdiu quidem miraculum illud tenuit. Simul verò ac in adverſam ripam evaſit exercitus, & Arca exceſſit alveô, ſimul Aquæ in præceps ruere, priſtináq; atque etiam majori, celeritate Sodomá versùs, atque in Mare mortuum decurrere. *Cúmque aſcendiſſent portantes Arcam fœderis Domini, & ſiccam humum calcare cœpiſſent, reverſæ ſunt Aquæ in alveum ſuum*, ET FLUEBANT, SICUT ANTE CONSUEVERANT. Habetis effigiem ſtrenuorum illorum Tyronum, qui in hoc S. Andreæ Domicilio, præſcriptam à Conſtitutionibus noſtris rationem vivendi, in naturam non vertêre. Certè ſi, quemadmodum Jordanis undæ, geminas Legis tabulas reveritæ, próque Arcæ, Levitarum humeris impoſitæ, obſervantia retrò egêre ſeſe, & in ſcopulos, mutato tum curſu, tum figurâ, ſe ſuſtulêre; ſic naturam quoque mutâſſent, in Cryſtallum adamantémque converſæ, nunquam

quam profectò posthac stagni execrabilis infame littus alluissent. At, quando in adventitia illa formæ locíque mutatione, eadem illis natura constitit, factum est, ut simul cum divinorum apparatu Mysteriorum, ipsa quoque, non nativa obsequentium undarum diversitas, finiretur. *Fluebant*, SICUT ANTE *consueverant*. In hunc modum, qui religiosam vivendi consuetudinem non in propensiones naturales mutat, penitúsque transformat, sic ut reâpse amet agere, quod agit, ac, citra gemitum, disciplinæ religiosæ jugũ ferat, eâ planè facilitate, quâ flamma sursum, pondera deorsum feruntur, is quamprimum è Sacrario, ubi Legum diligens custodia, Præsidum vigilantia, Sodalium exempla, humilitas functionum, perpetuus divini verbi sonus, nusquam interrupta sacrarum præceptionum lectio, vel glaciem inflammat, nedum emollit; quãprimum, inquam, inde pedem extulerit, profanas cupiditates resumet, genióque rursus indulgebit. Eriguntur, durantúrq; in montes aquæ, nempe dum à Sacerdo-

ti-

tibus Psalmi decantantur, & Arca fulget in alveo. Postquam verò sacræ pompæ majestas ex oculis evanuerit, majore impetu defluunt undæ; ut discamus, quàm inconstans sit virtus, cùm species, non natura, mutatur. Quisquis igitur verum se pietati probare alumnum cupit, non Jordanis extemporales instabilésque Mõtes, sed Aquas illas imitetur, quæ super Alpes in Alabastritem concrescunt. Hæ quippe, quam semel induerunt, constantiam servant, utpote in saxa è liquore mutatæ. Hinc à rupibus, in quibus duratæ sunt, alias in terras traductæ, marmoris formam, duritiémque ubique retinent. Idem vobis quoque continget, si novum hominem veteri mutaveritis, & profana paternæ domûs sensa in Apostolicæ Palæstræ præcepta converteritis.

75. Quod deinde ad hanc mutationem spectat, licèt ego ipsô dicendi exordiô geminos Tyrocinij, totidémque alios proximè subsequentes, in id opus attribuerim; haud tamen ideo dixi, ceu id quatuor annorum spatium, sinè summa mo-

morum diversitate, elabi impunè possit. Id duntaxat affirmavi, ad obtinendum vitæ planè divinæ decus, ampliùs spatium indulgeri juvenibus nostris, quàm conclusis Cœnaculo Apostolis concessum fuerit. Cæterùm qui non primô statim in Dei Domum ingressu ex Ægyptio in Israelitam immigrat, perexiguam spem præbet, ad gloriam sanctitatis olim perventuri. Ego certè per plurium annorum spatium, quô Societati in erudiendis Tyronibus operam locavi meam, animadverti, eum, qui, primo semestri, pravos affectus non exuisset, Christúmque non induisset, vanitati desideriísque inanibus planè mortuus, eatenus solùm viveret, quòd inextinctâ siti divina contemplandi, & aspera quæque patiendi laboraret, reliquum biennij tempus sinè fructu plerumque transegisse. Ad eam profectûs celeritatem Bernardus nos provocavit, cùm Christum infantem, vel in ipsis cunis, puerilibúsque fascijs, Virtutis Magistrum nobis exhibuit. Spectate, inquit, cœlestem puellum, & nullâ non parte prodi-

giosum, nullo in motu non divinum videbitis. Membris, paleis, centonibus, speluncâ denique fastum damnat, paupertatémque commendat. *Necdum loquitur lin-*
Ser. 3. in Nativ. Dom. To. 42. 66. *guâ, &* QUÆ CUNQUE DE EO SUNT, *clamant, prædicant, evangelizant. Ipsa quoque infantilia membra non silent.* Nisi novus Christi miles gladium continuò stringat, & in profanarum cupiditatum strage cruentet; nisi in prima expeditione consummatæ virtutis lauream decerpat, frustra victoriam ac triumphos sibi promiserit, & ad turpem fugam ignominiosámq; servitutem se paret necesse est. *Necdum loquitur lingua, &* QUÆ CUNQUE DE EO SUNT, EVANGELIZANT. Verba vestra omnia pietatem spirent, omnes oculorum motus ad cœlum invitent, vota omnia Martyrium, Crucem spectent, nec aliam sibi metam præfigant, quàm altissimum Sinai apicem, in quo animorum studio Apostolos, charitate Cherubinos æquetis. Hoc in fastigium nisi sub religiosæ vitæ infantiam conscendas, frustra capularis senex enitêre. Con-

trà,

trà, cujus initia optima fuerint, progressus erunt prorsus divini. Hinc ansam arripuit Augustinus, dum Servatoris Præsepi novum sidus appinxit, ejus Cruci Solem apponendi, majori miraculo cæcatum. *Ipse novam* STELLAM *declaravit natus, qui antiquum* SOLEM *obscuravit occisus.* Ser. 31. de Temp. To. 41. 103.
Qui senium suũ illustrare prodigiosæ virtutis luce cupit, quæ ad exstinguendos omnes humanæ gloriæ splendores, & vitæ mortísque obscuræ clarissimis exemplis premendos satìs sit, is in ipso limine relicti mundi novorum, insuetorúmque luminum radios diffundat, quæ coronata capita post se trahant; & ad Bethlemiј specûs nuditatem adorandam inflectant. *Solem obscuravit occisus:* sed ille videlicet, qui NOVAM STELLAM DECLARAVIT NATUS. Sic agit, qui suis sibi manibus domum struit. *Sapiens mulier* ÆDIFICAT DOMUM SUAM. Huic Sapientiæ opponit Ecclesiasticus vecordiam alterius, eductam jam domum dissolventis: *Insipiens exstructam quoque manibus destruet.* Vos nempe ferit hoc ful-

men, quos post duorum annorum impigrum laborem, in exercitatione virtutis consumptum, sanctioris vitæ fastidium capit, pigétque Cherubinis suppares perdurare. Infelices profectò longéque miserrimi foretis, si tot sudorum, tot precum sanguinísque, exactissimæ demum legum omnium, quas præscribit Ignatius, observantiæ impendio, eductam in animo vestro Evangelicam Turrim, vestris ipsi manibus dirueretis, damnatâ, quam tanto animi ardore suscepistis, asperitate vivendi, & tantùm non explosâ, velut anxiæ mentis superstitione, tum modestiâ, quæ sensibus vestris imperabat, tum jugo aureo, quo facultates animi premebatis, sensus expertes sensûs, animúmque cupiditatibus vacuum circumferentes. Nè, quæso vos, ad tantam altitudinem, labore tanto eductam, Sanctitatis molem deijcite. Nec Cordis aram auro gemmísque suis nudate, qui illam tot virtutum ornamentis decorâstis, tam copioso promeritorum thure vaporâstis. Dei illius honori gloriæque vivite, cui Sacramentum di-

dixiſtis. Nè ludibria provocate inconſtantiam veſtram ridentium, ſi fortè margaritam illā Evangelicam, quam toto Mundo emendam duxiſtis, mutato repentè conſilio, vilem haberetis. Arctiori ſemper tenacioréque amplexu Cruci adhæreſcite, cui, repudiatis ampliſſimis dignitatibus, fidem obligâſtis. Ea ſit ſingulorum univerſorúmque oratio: inſanire illum, qui templa ex Jaſpide atque Amethyſto, humanū modū conſilio ſupergreſſi, attollunt, proximéq; cœlo admovent, ut graviori ſubinde ruinâ evertant, vitæq; vulgari ac gregariæ coæquent. *Inſipiens, exſtructam quoque manibus deſtruet.* Quiſquis proinde à profanis cogitationibas mentē abſtraxit, deinceps ijs non affiget, nè perduellionis ac majeſtatis det pœnas. Quicunque, in fumoſis majorum Atrijs, aureum mundum pedibus ſubjecit, caveat, nè in religioſis adytis mundum alium, aut fumo ſordidum, aut è charta fictum, abjecto in humum corpore, veneretur. Nè ſuſceptas ſemel cum Chaldæa ſimultates deponamus, ſed omnem Terræ ſanctæ

cespitem deosculemur, in quam, Deo victimæ futuri, profecti sumus. Id scilicet effectum dabimus, si aures nostras nunquam non ferient Sapientis tonitrua, eum prorsus ad modum, quo Hieronymum momentis omnibus Angeli tuba lacessere consuevit: *Mulier sapiens ædificat sibi domum; insipiens exstructam quoque manibus destruet.*

Faxit Deus, ut ex his alterum de nobis semper, alterum dici nunquam possit.

EX-

EXHORTATIO XLIII.

VIII. Idus Sept: ad Scholasticos Religiosos.

Nemo potest duobus Dominis servire. *Matth. 6.*

Ego Flos Campi. *Cant. 2.*

Vitæ licentiam, ùt, è sanctis Doctoribus, nemo in Christianis hominibus probat, sic remissionẽ aliquam concedunt omnes, ijs quoque religiosarum familiarum alumnis, quæ severiorem Disciplinam profitentur. Frustra fruges ex agro speraveris, quem requietum nolis: nec minùs animis, quàm corporibus, nonnullâ studiorum contentionisque remissione est opus. Cistertij

quoque Gilbertus Abbas, arctas disciplinæ semitas laxari nonnunquam in planitiem voluit; sed utique planities omnis verecundæ lætitiæ auro sternenda erit, nè profanæ licentiæ luto sordescat. Risus proinde hilaritas sit, absit à cachinno. Ruri nos Legum nostrarum reverentia comitetur, nec unquam à latere nostro Christus discedat, Integritatis lilio profanorum jocorum stolones compressurus. Nullæ sinè Deo feriæ placere, afferréque solatium possunt: & quisquis Religiosum se meminit, media inter hilaria effulget pietate, spirátque modestiam. Vel Arrianus Princeps Theodoricus exemplo sit, qui ludebat pariter, ac philosophabatur. Religio Relaxationem temperet. Sonantes cachinni, aculeata dicta, immodicus cibus, propriæ Pa-

ra-

rasitorum artes sunt, ab omnibus, qui sacrâ veste teguntur, penitus alienæ, pestésque virtutum. Felices nos, si, Tusculanis in villis, montibúsque Tiburtinis, Apostolicarum Expeditionum, quas in circumjecta castella vicinósque agros, per autumnalis Æquinoctij vacationes, suscipimus, Inferos debellabimus, peccantésque corrigemus. Et sic quidem Iuvenes nostri otio vires instaurant, ut in eo recessu Apostolicos per Indiam labores sibi repræsentare videantur.

76. IMminente jamjam Autumnalium vacationum tempore, haud pauci ex adolescentibus nostris, etsi fortè non dejiciantur animo, commoventur tamen, Christi dicto conterriti, iterum iterúmque in præsentis temporis Evangelio sectatoribus suis inculcantis:

Ne-

Nemo poteſt duobus Dominis ſervire. Exclamant proinde, &, quòd ſi, inquiunt, geminis heris operam dare mens una nequit, quâ nos ratione uno eodémque tempore corporis quieti conſulemus, incrementóque virtutum? quî otij remiſſioni contentioníque pietatis, camporum amœnitati, Crucíſque cultui, hinc Villæ delicijs, ludíſque honeſtis licèt, inde ſerijs cogitationibus, inter ſacrificandum meditandúmque vacabimus? quâ conſequemur arte, ut legibus reverentia conſtet, dum corpora curare ſinimur, imò jubemur? Denique ut compendium faciamus, quo nexu, gravitatem religioſam cum litterarijs ferijs, colligabimus? Enimverò hanc diverſiſſimorum imperiorum miſturam plerique verentur, exclamántque perplexi: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* Et profectò virtutis ſtudioſiſſimos quoſque non ignavus timor Domi contineret, abſtinerétque ruſticatione, ſi virium inſtaurandarum cura, rerum adeò diſſidentium ſervituti ipſos ſubjiceret. Sed errat, quiſquis credit, ab ijs, quas paramus, vaca-

tio-

tionibus, ſibi neceſſitatem monſtri longè abſurdiſſimi imponi. Quale videlicèt foret, ſi deſtinata viribus confirmandis medicamenta, ac Crucis in amplexum receptæ Sacramenta, pari cultu obſervanda forent. Avertat verò Deus tam execrabilem æqualitatem! Virtuti ſerviemus: conſuetæ remiſſionis otio non ſerviemus, ſed utemur; eo nempe conſilio, ut animi ardorem intendamus, præparemúſque laboribus. In hunc modum ſi remiſſio ſerviat, non dominetur; Virtus contrà imperet, moderetúrque; nullum Apoſtolica perfectio periculum adibit, nec minus Chriſto in patentibus campis, quàm in Muſæo fruemur. Et non auditis, quantâ verborum ſuavitate, ad camporum amœna ille vos provocet, palàm profeſſus, iſthic ſe germinare, iſthic ſe ad virtutis veſtræ incrementum efflorescere? *Ego flos campi.* Regnet duntaxat in vobis æternitas, illíque, breves illæ induciæ, quas à contentione ſtudiorum Præſes indicit, ſub ſerviant, ac neutiquam dubitate, præſtò me futurum, atque unà vobiſcum viridaria,

ria, per quæ inceditis, perambulaturum. Iisdem igitur verbis unumquemque vestrûm alloquitur, quibus ipse à desponsata sibi mente compellatus olim fuit: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Quando me, inquit, à colloquijs vestris, ab itineribus, à vestris, si libet ità dicere, oblectamentis abesse non sustinetis, eadem vobis vitæ sanctitas parabitur in nemorum umbra, quam in cubiculorum quieto silentio, intérque litterarum spinas speraveratis. Atque hoc illud est, quod in præsentia demonstrandū sumpsi: exhortaturus filios meos, ut hanc, qualemcunque, laborum temperiem, & à studijs remissionem, æquis animis admittant, certi, nihil sibi de perfectione sanctitatis decessurum esse.

Cant. 7. 11.

77. Et primò quidem nec vanus nec degener eorum metus fuit, qui ad instantis otij viriúmque confirmandarum nomen expavêre. Geminis quippe Gregorijs, Nysseno ac Nazianzeno, gravissimis profectò Auctoribus, se tuetur, qui deliciarum & solatiorum expectatio-

ne ſuſpenſus intremiſcit. Et prior quidem ità ſtatuit, Mendici Lazari Epuloníſque Hiſtoriam quotidie inter homines inſtaurari, varios utrique in futuro, eóſque à præſentibus diverſiſſimos, ſucceſſus, divinâ Providentiâ ſeponente. Et Apicius ille quidem, quòd præſentium temporum ſolatia conſumpſiſſet, æternâ ſiti ardebit, tormentíſque perpetuis lancinabitur. At, miſerum illud plagíſque deformatū mendicabulum, æternis inter Angelos epulis accumbet, eò quòd, anguſto peregrinationis ſuæ ſpatio, nè tot quidem panis micas impetraverit, quot compeſcendæ fami ſatìs eſſent. Hortatur proinde Nyſſenus, ut delicias in futurum, & immenſa æternitatis ſecula, ſervemus, ac breviſſimi exilij huius tempore laborioſæ vitæ anguſtias malimus. Quô fit, ut prudenter ab omni eo, quô recreari poſſit, unuſquiſq; abſtineat: *Beatificum fuerit exiſtimandum, ſi quis* PORTIONEM LÆTITIÆ *in ſempiternum ſeculum* RECONDAT: *triſtitiæ verò munus in hac temporaria vita expleat.* Hæc Nyſſenus. At, majori argumen-

De Beatitudin. To. 13. 7.

mentorum robore, Nazianzenus formidinem illorum approbat, qui ſolo Recreationis audito nomine contremiſcunt. An enim vobis parùm negotij faceſſit lutum hoc adeò depravatum corruptúmque, parúmne candori videtur officere, niſi picem reſinámq; adjiciatis, alimenta igni fumóque tetriori materiam? Prô nimium quantum Caro & ſanguis mentem infeſtat, tùm quoque, cùm vigilijs exhauſtæ vires, confectæque inediâ jacent. Paulus ipſe de ſe teſtatus; *video*, inquit, *aliam legem* IN MEMBRIS MEIS REGNANTEM

Rom. 7. LEGI MENTIS MEÆ, *& captivantem me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Satìs profectò nimiúmque potens eſt congenitæ nobiſcum Naturæ ferocia: neque eget vel tantum incendium novâ materie, vel tale Monſtrum ampliore cibo, ut ad nos diſcerpendos validiùs conſurgat. SUFFICIT CORPORI MALITIA SUA.

Orat. 44. To.1.15.372. *Quid* FLAMMÆ *ampliori materiâ opus eſt, aut* BELLUÆ *copioſiori alimento, ut effrenatior reddatur?*

78. Ne-

78. Neque me tamen hæc à ſententia deducunt, potiórque apud me ſemper erit religioſa conſuetudo, quæ Scholaſticis noſtris aliquam à ſtudijs vacationem concedit: eámque in rem vel ipſum Nazianzenum mihi advoco. Peto primùm à Viro graviſſimo, an ea ſententia, quam adversùm corpus tulit, omnem quoque laborum interpellationem, remiſſionémque habenarum proſcribat? Tantum abeſt, inquit, ut id velim, ut jubeam, animum corpúſque interquieſcere, & moderatis recreationibus utriuſq; labores temperari. Non itaque remiſſionem, ſed licentiam; non corpora cibo reſtaurari, ſed obrui; non rus proficiſci, ſed à Tabernaculo fugam inire; non modeſtæ lætitiæ amœnitatem, ſed inconditam cachinnorum petulantiã inſector ac damno. NON ENIM ANIMI RELAXATIONEM INTERDICTAM VOLO: *ſed petulantiam coërceo* Hujus tum ad vivendum, tum ad bene vivendum, accommodatiſſimæ temperatiſſimæque Philoſophiæ, per omnes toto terrarum orbe campos, celeberri- Orat. 6. To. 115.75.

berrimam Academiam nobis Pater æternus aperuit. Nulla ferè fœcunda est Arbor, quæ non, pluribus feriata mensibus, ab omni etiam frondium producendarum labore vacet, & omnes tum siderum illapsus beneficos, tum aëris rores, tum terræ humores ad solius stipitis conservationem sustentationémque revocet. Sic Vitis exsolvitur vinculis, à pedamento liberatur, & in solum resupinata quiescit, ab omni, tum botros tum pampinos proferendi, labore vacua. Ut dormire per hyemem universas arbores putes, truncósq; accepta olim damna sarcire, cùm in liquorum fructuúmque præparatione sese consumerent. *Brumali tempore*, inquit Philo, *humi sternuntur*, *& in palmitibus* OCULI CONNIVENT. *Innata ad germinandum ora comprimuntur*, NATURA *tunc intùs conclusâ* QUIESCENTE. Age jam, si Deus id Arboribus, sensu carentibus, tempestate duratis, & securium patientibus indulsit, quanto potiore jure in corporibus corruptioni obnoxijs, & animis in fragili testa conclusis, servandum erit? *Non enim*

Lib. quod Deus sit immutabilis. To. 107. 176

enim Animi relaxationem interdictam volo. Adde: ſi omni hominum generi quies, ceſſatióque neceſſaria eſt, multò ea magìs concedenda erit hominibus illis, qui bonarum artium, maximarúmque Diſciplinarum ſtudio ſe ipſos carpunt, conſumúntque. Rerum enim, ſenſus fugientium, perceptio, & eloquentiæ ſtylíque exercitatio longa, Menſulæ, ceu Cruci nihilo molliori, affigunt, mentis ab amœnioribus imaginibus abſtractæ vires reſolvunt, tumultuantíque ac ſalſo pelago difficillimarum quæſtionum demerſam, perplexis ambiguarum, viſúmque fugientiũ rerum mæandris, periodorum ambagibus admodum laborioſis, cæteríſque, quæ vel ad ſermonis dignitatem, vel perſuadendi vim pertinent, laborioſiſſimis difficultatibus implicant atque circumagunt. Quô fit, ut vitæ priùs, quàm ſtudijs, haud pauci finem imponant, & paucos reperire ſit, qui in hac continua mentis corporíſque contentione, veluti quodam lenti Martyrij genere, non ægerrimè vitam trahant, pallidi, exſangues, cadaveribúſ-

que insepultis, quàm vivis, famáque illustribus similiores. Quis jam ibit inficiàs, laboribus, à naturæ instinctu tam alienis, aliquid oblectamenti fomentíque jure optimo æquissimóque deberi? Et quando in agros, Philone duce, concessimus, ad recognoscendam eo loco hujus, qua de nobis sermo, vacationis refectionísque necessitatem, lubeat animadvertere, aliter agi cum solo, quod fœno producendo destinatur, aliter cum agris, aratro inversis, & frumento reservatis. Et pratis quidem nulla quies indulgetur, ac quanquam nullus ijs cultus adhibeatur, quotannis tamen herba demetitur. At verò qui in sulcos porcásque exaratus sementē accipit, is, postquam biennij tempora vomere rastrísq; proscissus est, subinde quieti sibíque relinquitur. Cujus diversitatis ea videlicet est causa: quod herbæ, non cultu, sed nativo soli genio, proveniant; contrà verò frumentum agros exsugat, &, in spicas sublatum, soli prolem elidat, eíque necessitatem imponat, succū humorémq; suum, propriæ soboli ereptum, adventi-

tij ſeminis incremento commodandi. *Vt poſt reſpirationem*, QUASI ATHLETA LASSUS *certamine, recolligat vires, atq; ità de integro ad labores redeat.* Propoſito ejuſmodi ſanè ingenioſo paradigmate, ſic porrò diſſerere placet. Quò major naturæ vis infertur, quantóque ingenitæ minùs, minúſque familiares nobis ſunt ingenij exercitationes, tantò majore requiete, tum facultates animi, tum interiorum ſenſuum virtutes, opus habent. Quare cùm nativæ linguæ vitia dediſcimus, vulgatis tritíſque vocibus nobiliores alias, quæ cum anterioribus ætatibus interiêrunt, inſolentéſque prorſus ſunt auribus noſtris, reponentes, vel dum rebus, ſub aſpectũ poſitis, Theologia & Philoſophia haud paulò diverſas, quæque nonniſi mente conſpici poſſunt, plerumque non novas ſolùm, verùm etiam ſenſui repugnantes, ſubrogat; quis non videt, quàm dura certamina ſuſcipiantur, quantóque ea ſudore, ac pæne ſanguine, nobis conſtent? Excipiat proinde labores tantos moderata quies, útque, cùm res poſtulaverit, de-

Ibidem.

ſudare queas vehementiùs, Autumnales feriæ ſudorem abſtergant. Stet illud effatum Gregorij: Indulgeatur vacatio benemerentibus, & Lycæum Villa ſequatur. *Non enim animi relaxationem interdictam volo: ſed petulantiam coërceo.*

79. Ut verò licentiam à remiſſione, quarum altera virtutem enervat, altera confirmat excitátque, idoneo divortio ſeparemus, Chriſtus oblectationum noſtrarum atque otij moderator eſto: atque omnium deambulationum, per nemora vineáſque, perpetuus comes: ſic ut de nobis dicere nobis poſſit: *Egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Id conſequemur utique, ſi Hebræorum exercituum Duces imitabimur, cùm Jethro, Moyſis ſocer, vero Numini, cujus cognitionem nuper acceperat, victimas & holocauſta conſecravit. In hac tanta, tanti Neophyti, celebritate, apparatæ ſunt epulæ, eâ magnificentiâ, quæ ampliſſimum cætum deceret. Omnes, quotquot erant Hebræi Imperij Satrapæ, convenêre, accubuerúntque convivio: non tam ut id honori

nori

nori Jethronis darent, quàm ut de Israëlis Deo, ejúsque tum Providentia, tum Potentia, qui tam clementer cum Hospite Religioni adjuncto, & cum Tribubus Ægyptiæ servituti exemptis, egisset tam benignè. *Obtulit ergò Iethro, cognatus Moysis, holocausta & hostias Deo: venerúntque Aaron, & omnes Seniores Israël, ut comederent panem cum eo* CORAM DEO. Hæc enimverò mensa fuit, è qua triumphalis Populi Principes cibum sumpserunt, non ut corpora explerent, sed ut Deo laudes canerent: cui accubuêre, non ut supellectilem apparatúmque Hospitis spectarent, sed ut magnitudinem ipsi divitiásque Divinitatis, quam recèns colere cæperat, commonstrarent. *Omnes Seniores Israël ut comederent* PANEM *cum eo*: sed nempe CORAM DEO. Erat ejus convivij Præses ac Modimperator Deus, cujus majestatem venerandi Senes illi demonstrabant, Divinitatísque arcana, quà mortali concessum est, exponebant. In hunc modum si regijs mensis accumbant Sacrorum Principes, multò illi magìs animum

Exod. 18. 12.

meritis ſcientiáque, quàm corpus confirmant. Sed rari ſcilicet convivæ ſunt, qui Sympoſiarcham Deum habeant, laudibúſque inter epulas exornent. Hinc Origenis eæ lachrymæ: NON OMNES PANEM *manducant in conſpectu Dei, ſed qui ſunt Seniores*, QUI PERFECTI SUNT, *& meriti probati.* His nempe præſtò ſemper eſt Chriſtus, omnis eorum conſilij auctor, omnis diſputationis argumentum. Sic enim veri Iſraëlitæ, hoc eſt optimi Sacrorum Ordinum Alumni, adeò tum fide tum amore Deo conjuncti ſunt, ut tùm quoque, cùm eum nonnullâ ſuâ labeculâ offendunt, non fugiant tamen ejus conſpectum, ſimul cultores ac rei. *Iſti*, proſequitur Origenes, *etiamſi malum faciant*, IN CONSPECTU EJUS FACIUNT. Ex horum numero fuit, qui cum lachrymis dicebat, David: *Tibi ſoli peccavi, & malum* CORAM TE *feci.* Nunquam enim Servator è fidelium ſervorum ſuorum oculis abit, tùm quoque cùm vacillant; & ſyndereſis, quæ nunquam dormiſcit, eos fodit, lancinátque.

Hom. 11. in c. 18. Exod. To. 39. 75.

Pſ. 50.

Qui-

Quibus enimverò stimulis excitantur ocyùs, & ad resumendam cordis munditiem, eluendámque maculam provocantur. Religiosi verò minimè religiosi, consopitis conscientiæ tumultibus, in graviora prolabuntur: atque adeò acquiescunt, itáque se in pulvere versant, ceu vel Aræ thura imponerent, vel violas inter Pœnitentiæ, Temperantiæque lilia meridiarentur. *Quid ergo plus habet* (colligit ad extremum Origenes) *qui malum coram Deo facit? Illud profectò*, QUOD CONTINUO POENITET, *& dicit*, PECCAVI. 2. Reg. 2. *Qui autem discedit à conspectu Dei*, NESCIT CONVERTI. En nunquam à Cruce, vel media inter oblectamenta, se refigentis privilegium! Deo scilicet fruitur, déque Deo in omnibus, quæ jucunda honorificáque ipsi contingunt, verba facit: & si forsan in ijs pulvere aspergitur, myrrhæ fasciculis sese emundat, tergítq;. CONTINUO POENITET. *Veneruntque ut comederent panem cum eo* CORAM DEO.

80. Quæ, ſe ſe recreandi forma, non modò vitio verti nequit Ignatij filijs, qui procul à ſolitudine mediíſque in turbis verſantur, ſive ut juventutem erudiant in Gymnaſijs, ſive ut intrà templorum adyta ſanctè vivendi rationem ſummos juxtà infimóſq; edoceant: verùm etiam in Ciſtertienſium prædijs à Gilberto Abbate retenta & commendata eſt. Edidicerat is è Sponſa, Monachóſque ſuos edocuit modum, veſtigandi Chriſtum, non in anguſtis ſolùm auſteræ vitæ ſemitis, ſed in campis quoque areíſque, moderatæ recreationi deſtinatis. *Per* VICOS *&*
Cant. 3. 2. PLATEAS *quæram, quem diligit anima mea.* Malè profectò nobiſcum agetur, inquit ſapientiſſimus Archimandrita, ſi cinerem ſemper ſuper menſam mandemus, ſi perpetuis lachrymis colliqueſcemus in odeo, ſi continuis ſudoribus in horti cultura madebimus, ſi oculi, nunquam à terra ſublati, ſeveram nobis cæcitatem præſcribent, ſi adſtrictum renibus cilicium omnem quietem ſubmoverit, ſi humeros tum Regularum jugum attriverit, tum

fla-

flagrorum aſperitas nullo non tempore cruentârit, ſi clauſos ſemper æterno carcere, & veluti præmaturo ſepulchro, hi parietes attinuerint; enimverò vitam in cruciatibus abrumpemus, nimis anguſtũ ſortiti ſpatium, triumphos noſtros fortibus factis extendendi. At verò ſi contentionem laborum remiſſione aliquâ temperabimus, ſeveriſſimarúmque legum tempeſtates, conceſſæ corporibus Pacis Irides, interfulſerint, diutiùs in Crucis amplexu hærebimus, alioquin citò exſpiraturi, niſi reſpiraverimus. *In vicis exſpiravi ferè*, SED IN PLATEIS RESPIRAVI STATIM. *Latitudo quædam & libertas* INOCCUPATÆ MENTIS *in plateis tibi commendatur.* Atque hæc ſpatia ſunt laxandis aliquantulùm habenis, hæc menſa reficiendæ menti deſtinata. Fatendum verò eſt, hanc auſteritatis moderationem, præſente Dei memoriâ, à prudentiſſimo Antiſtite temperari. *Vt manducarent panem cum eo* CORAM DEO. Quieti vacate, non licentiæ: de obvio quovis argumento diſſerite, dum-

Ser. 5. in Cant. To. 109. 26.

modo illud neque profanum, nec vanum ſit: virentium pratorum amœnitate oculos paſcite, ut inde diſcatis florere virtutibus. Nunquam permittite, ut in plateas veſtras vel Ægypti paludes, vel Chaldææ bitumina, curioſitas derivet. *Conſidera, nè libertatem iſtam des in occaſionem carnis,* NE COACERVES LUTUM IN PLATEA TUA. *Alioquin ſicut lutum platearum delebit te Dominus.* Abſcedant procul à colloquijs religioſis profanæ fabulæ, animadverſiones politicæ, aularũ implexa conſilia. Quippe ſi quiſquilijs ejuſmodi conceſſæ ſpatia libertatis opplèremus, non modò vires ad Calvariæ aſcenſum, tantò alacriùs ſubinde repetendum, non inſtauraremus, verùm etiam accideremus magnopere, ac rueremus in

Thren. 4. præceps. *Lubricaverunt*, ait Propheta, *in plateis veſtigia noſtra: lutoſas volens intelligi eas, in quibus ſit lubricus inceſſus.* Concludit Gilbertus, & ſuaviſſimam doctrinam, ſe digno epiphonemate, obſignans: NON LUTO, inquit, SED AURO STERNANTUR VIÆ TUÆ. Equidem

dem, laxati ſilentij tempora, jucundè colloquendi copiam faciunt: ſed indulgentia ejuſmodi, neque rumuſculis, neque argutijs, neque ſermonibus, quæ vel animi pacem turbent, vel charitatem lædant, vel pietatem reſtinguant, inquinetur. *Non luto*, SED AURO *ſternantur Plateæ tuæ.* Grata miſcete colloquia, ſic tamen, ut remiſſionis Zephyri non provocent Aquilonis injurias: *Montes* conſcendite, lacus & caſtella procùl aſpecturi, ſed cavete, nè virtus in Philiſthæas valles, per luxûs admirationem, nè dicam invidiam, præceps devolvatur. Læta ſanè agite otia, inter Latinorum Poëtarum lepôres, & Romanorum Imperatorum triumphos; Græcorum Perſarúmque facta dictáque commemorate, eo tamen pacto, ut eruditioni profanæ, quâ ditatur ingenium, Anachoretarum geſta, Martyrum Victoriæ, Prophetarum oracula, ſacrorum Interpretum effata interferantur, quibus pietas augeatur, virtus incitetur, ménſque, humanis refixa rebus, in Deo conquieſcat. Hunc agendi modum te-

nuit

nuit Honoratus, Lerinensis Cœnobij Fundator sanctissimus, eo videlicet tempore, quo ad sacri claustri horrorem, liberiore aurâ temperandum, vicinum Maris littus cum suis petebat, emaciata jejunijs corpora legumine, piscéque aliquantò curiosiùs elixo, reparaturus. Id quod S. Hilarius prodidit, ejus virtutum admirator pariter atque Historicus. *Quis ità blandimentum cum severitate conjunxit? quis ità* MIXTAM LÆTITIÆ DISCIPLINAM *propinavit?* Cænabant sanè beati Cœnobitæ illi aliquantò lautiùs, quàm austeræ professionis usus ferebat, &, relegato in Monasterij Cellas silentio, colloquia virginali quadam lætitiâ inibant. Sed enim emicabat ubique sermonis gravitas, sanctitas morum, ac totius corporis habitûs compositio singularis: ut prorsus existimem, cœlestes Genios, Christi olim in nemore discumbentis Ministros, illis Monachorum vacantium refectionibus intervenisse. Non enim legum reverentiæ officiebat hilaritas, & quamvis abessent à Cœnobio, nemo tamen à religio-

Ser. de S. Honor. To. 34. 137.

sa

ſa conſuetudine diſceſſerat. *Quis ità* MIXTAM LÆTITIÆ DISCIPLINAM *propinavit?*

81. Hæc porrò Diſciplinæ, nuſquam omiſſæ, Hilaritatíſque tantiſper uſitatæ temperies, perplexum me facit, an aquæ cum vino, aut olei cum liquoribus alijs miſtura ſimilior eſſe debeat? Equidẽ inter epulas ſic frigida vino permiſcetur, ut nullo dignitatis ordine crateris oram, fundúmque juxtà tangat, nec ulla cujuſquam perſpicacia diſtingui poſſit, ſic in unum coaleſcentibus geminis híſce corporibus, ut pariter vincant vincantúrq;. Secùs accidit, cùm oleum in liquidam materiem infunditur. Equidem ſe aceto, vino, liquoribúſque factititijs adjungit, ſed ſupernatat, nec unquam ſe amittit, aut cum illis confunditur. Talis eſſe debet in remiſſione otióque religioſa Majeſtas. Hilaritas Sanctorum, imperium in res omnes, quas ipſis vel neceſſitas admovet, vel prudentia indulget, conſtanter retinet. Peccat proinde, acritérque à S. Ambroſio caſtigatur, quiſquis, feriatum tempore, Diſ-

Disciplinam pariter animúmque remittit, & Leges Otio confundit perturbátque. OLEUM LÆTITIÆ SPIRITUS SANCTUS EST. Cogitate, quàm divinæ esse debeant oblectationes nostræ, cùm divini Spiritûs nomine appellentur. OLEUM LÆTITIÆ SPIRITUS SANCTUS EST. *Quomodo putant, deterrimi Caupones, oleum lætitiæ, cum cæteris creaturis, suâ posse fraude confundi? Cùm utique non queant incorporeis corporea, increatis creata misceri.* Nisi ergo in otio nostro risui Modestia, sermoni gravitas, motibus actionibúsque omnibus Disciplina religiosa præsideat, non id Apostolicæ relaxationis genus est, sed indigna nomine nostro licentia. *Putant*, DETERRIMI CAUPONES, *Oleum lætitiæ suâ posse fraude* CONFUNDI. Sinite, ut confusionis ejusmodi turpitudo palàm sit, id narrare me, quod in Collegio Romano, ejus Moderator, in allocutione domestica quondam nobis exposuit. Gemina Scholasticorum nostrorum patria, sub feriæ quintæ vesperam, è villa ad Collegium, secun-

Lib. 1. de Spir. sancto. c. 8. To. 2. 51.

cundùm cænam, revertebantur. Eo in itinere, clariore quàm par erat, voce, cachinnis, procaciáque inuſitatâ moribus noſtris, ciborum condimenta ſugillabant; memorabant, quibus pœnis, neſcio qui errores, caſtigati eſſent; Magnatum luxum extollebant; conſultabant, quâ ratione veſtiaria Principum inſpiciendi facultatem à Præſidibus impetrarent, & argutijs, ingenioſis magìs quàm pijs, ſe oppidò familiariter inceſſentes, Equeſtris Ordinis Viro, in paucis prudenti, è ſepe proſpectandi, híſque in eos verbis declamandi, occaſionem præbuêre: non hæc, Patres, inquiebat, eorum oratio fuit, qui paulò ante hac, magno numero, tranſiêre Sodales, æqualéſque veſtri. De Deo, de Cœlitibus illi diſſeruêre, ídque voce tam ſubmiſſâ, ut vix à me audirentur. At verò vos clamore tam ſonanti, cachinnis, quales in orcheſtra tolluntur, ſermonibus de trivio arreptis, omnes ædium veſtrarúm quiſquilias profertis in publicum, nullâ famæ veſtræ, nullâ Religioſi Ordinis curâ. Me quidem,

ut-

utpote Societatis JESU amantiſſimum, interioríſque ejus ſanctitatis probè gnarum, veſtra iſta garrulitas non offendit, quippe qui ſciam fore, ut unuſquiſque veſtrûm, qui fortè cilicio, corpori appreſſo, hîc incedit, vel hoc ipſo veſpere, aut primo quoque tempore, ſeverus ſui Judex, omnem iſtam inconſultæ confabulationis noxam, incuſſis flagris, vindicet, inuſtámque modeſtiæ ſuæ maculam aboleat. Expedit nihilominus, ut aliorum, qui fortè non perinde, atque ego, de Apoſtolico iſto vivendi genere ſentiunt, offenſionem caveatis. Nam qui tam profana colloquia ſeri, tam licentes tolli riſus, tam imprudentes querelas, adverſùs religioſæ vitæ conſuetudinem jactantes, audiêrit, graviter profectò exemplis hiſce veſtris offendetur, atq; adeò molæ ſupplicio vos addicet, cui JESUS, Dux veſter ac Caput, eos fecit obnoxios, qui puſillis exemplô ſuô periculum creâſſent. Sic ille. Vos autem cum animis veſtris reputate, quis infelicium illorũ ſenſus fuerit; certè, ſtatim à reditu, Præſidis pedibus

bus advoluti, publicam in ſe vindictam flagitârunt. Rata eorum vota fuêre, & publicâ ſuper menſam objurgatione caſtigati, profuſis lachrymis, in omnium conſpectu, & ſubinde ſanguine quoque in oculis Dei, inuſtam vultui noſtro maculam, eluerunt. Loquamur, quæſo vos, non clamemus cum Stentore: rideamus, non ilia riſu diſſolvamus cum mimis. Hiſtrionum cuilibet dicere cum Satyrico per nos quidem liceat: *Findor, ut Arcadiæ pecuaria rudere credas.* *Perſ. Sat. 3.*

82. Non eſt is Eccleſiaſticorum riſus, qui ſonat. His enim limitibus, S. Ephrem, religioſam lætitiam definivit ac circumſcripſit. *Riſum illi*, ULTRA VULTUS SERENITATEM, *erumpere nequaquam ſinebant.* Neque verò Anachoretarum, ad ſpeluncas relegatorum, ora duntaxat, tam duro freno, compeſci à rigido ſcriptore cauſſeris. Quippe Alexandrinus Clemens, illo quoque auſterior, Chriſtianos omnes, eóſque nullis ſacris initiatos, infrenavit, omni ab eorum ore riſu proſcripto, qui ſerius ſeverúſque *De vita Relig. To. 30. 91.*

L. 2. Pædagog. c. 5. To. II. 103. non foret. *Illum magìs admitto subridentem, QUI SEVERA FACIE VIDETUR SUBRIDERE. MINUS enim fuerit* RISUS ILLE IRRIDENDUS. Quô, severissimo licèt, edicto non contentus, imperat insuper, ut huic quoque modico risui apponantur Evangelici Terroris munimenta, constansque memoria tum exemplorum, tum dictorum Christi, illud nullo non tempore Auditoribus suis inculcantis: *Væ vobis, qui ridetis! Beati qui lugent!* Luc. 6. 25. Matth. 5. 4. Quam ob rem quicquid ultra vultûs amœnitatem exundaret, irrevocabili mulctavit exilio. *Oportet autē* SUBRISUM QUOQUE ERUDIRI. Hinc exigat unusquisque secum, quàm vehementer afficiar, si quando in hoc ipso viridario Clementis pacta rescindi exaudio. Verba non invenio, Patres, quibus exponam, quanto mihi solatio sit, cùm diebus, quibus Magistri Discipulique à Scholis vacant, video nostros, contemptâ curiositate Urbem perlustrandi, oculósque inutilibus spectaculis pascendi, Quirinalem ascendere, hæc tecta subire, & in Religio-

giosо viridario, sub umbra Laurûs Ilicísq; suaviter acquiescere. Immortalitati consignent Angeli passus omnes, quos ad religiosissimam domum promovetis. Coronet Christus vestram, è foro templísque, tumultuantis populi frequentiâ obsessis, fugam. Sacrosancta demum Trinitas universa, vestram illam vos recreandi modestiam, secesśúmque in locum tam solitarium piúmque, æternis præmijs remuneretur. Sed hæc mea gaudia magnam partem corrumpunt, qui altiùs vocem tollunt, nec subrident, sed rident. Meminisse velim universos, imminere viridario nostro Cœnobia, vel Virginum austerissimam vitam profitentium, vel Religiosorum hominum, quos perpetua à carnibus abstinentia, pedum nuditas, vultûs macies squalórque nobilitat. Alterum porrò viridarij nostri latus universum, Pontificiarum ædium inquilinis, objectum est. Hinc expendaris licet, quid de virtute nostra sensura sit tam religiosarum perspicaciúmque mentium vicinia, si clamores, si cachinnos, plausúsque, in argumento

forte non sacro, curioso, argutijs, aut facto dictóque non castigatissimo, versantium exaudiant. NON LUTO, quæso te, SED AURO STERNANTUR PLATEÆ TUÆ. Igitur tum hic, tum alibi, remissionem otiúmque nostrum, ad eam sanctitatem conformemus, ut, quisquis actionibus nostris arbitrer intervenerit, modestiam nostram suspiciat, miretúrque, gravitatem tùm quoque regnare, cùm religiosæ vitæ professio laxamentum aliquod vacationémque indulserit. Quô fiet, ut, qui intentos in nos oculos & aures habent, manifestè deprehendant, Deum esse omnium sermonum nostrorum argumentum, nec unquam ab exigua illa quiete, quam afflictæ corporis vires à nobis reposcunt, vel abesse, vel exulare Constitutionum nostrarum memoriam reverentiámque. *Per* VICOS ET
Can. 3. 2. PLATEAS *quæram, quem diligit Anima mea.* Equidem haud reor, in hac sententia, particulâ illâ ET rem aliquam novam notari, sed idem quod expositum erat, novo vocabulo signari. Ut intelligamus,
omnia

omnia quidem humanæ relaxationis ſpatia religioſa, eſſe quidem illa jucunditatis alicujus Plateam, ſed perfectæ Diſciplinæ vicum juxtà callémque anguſtiſſimum. Ut adeò ipſa quoque laborum remiſſio, quiéſque noſtra, imago quæpiam ſit Chriſti, vel in Ægyptum fugientis, vel in nemore ſe affligantis, vel in Prætorio ſpreti, vel in Crucem acti in Calvario. *Per* VICOS ET PLATEAS *quæram, quem diligit Anima mea.* Prô! quoties Ignatij filij, cùm vel inter Hortorum menſǽque oblectamenta, nunc ſapidiore cibo, nunc ſalientium aquarum, aliàs pictarum tabularum, florúmque ridentium aſpectu, ſe fraudant, conceſſæ remiſſionis tempora, cum Solitudinum auſteritate, commutant? PER VICOS ET PLATEAS. Quid? quòd è geminis híſce notionibus, principem locum, ùt dignitate, ſic ordine, teneat auſterior, mitioré mque præcedat. Ac proinde Vicus primò, tum Platea nominatur: eô conſiliô, ut unuſquiſque intelligat, non modò nunquam à conſecratis Deo mentibus ſejungi à Diſci-

plina relaxationem, ſed huic illam anteferri.

83. Quòd ſi porrò ex me quæras, cur in omni loco ac tempore hæc morum virtutíſque conſtantia, tam religiosè ſervanda ſit? ajo: idipſum à nobis vitæ noſtræ genus jure ſuo exigere. Servatoris enim Diſcipuli, Succeſſoréſque Apoſtolorum ſumus, atque adeò Apoſtolicæ vitæ dignitas, ex omni actione motúque noſtro, emicare debet. Quemadmodum namque votis, quæ nuncupavimus, nos exſolvimus nunquam, ijſdémque ſemper Evangelicis vinculis adſtricti, Crucíſque Præcones eſſe perſeveramus: ſic inſeparabili nexu, tum ſacræ Doctrinæ gravitas, tum caſtigatæ vitæ ſeveritas, nobiſcum colligantur. Fas eſt, ad auram liberiorem captandam, in rus ſecedere, ſed nè Terræ ſanctæ terminos tranſiliamus: afflictíque corporis inſtaurationem Transfigurationémque non alibi, quàm in Thabore, monte videlicet myſterijs divinitatéque conſecrato, perfici oportet. In hanc planè ſententiam Ambroſius diſſeruit, cùm

cùm Evangelicos Bellatores Olympionicis comparavit. Non ſemper pugnat Athleta, ſtadiúmque decurrit; aliquando quieſcit, ſudorémque abſtergit ſibi. OPORTET FERIARI ATHLETAM. Neq; tamen is, quo tempore ceſſat à pugna, vel corollas circumdat capiti, vel obdormiſcit in pluma. Non otioſum ejus otium eſt, neque, quia vacat à certamine, vel mores ſolvit, vel ponit rigorem, aut omni cœno vitiorum ac voluptatum ſe demergit. Nullo non die corpus exercet, proludítque certamini. Coliphijs, hoc eſt, ijs ſolis utitur cibis, qui robur addant corpori, non abdomen; Voluptates, quibus frangitur, odit, effeminatámque mollitiem deteſtatur. *Numquid Athleta otio vacat, cùm ſemel dederit certamini nomen? Exercetur quotidie, quotidie ungitur.* IPSE EI CIBUS AGONISTICUS DATUR: DISCIPLINA EXIGITUR: CASTIMONIA CUSTODITUR. *Et tu dediſti nomen tuum ad Agonem Chriſti.* Non jam integrum nobis eſt, Reverendi Patres Fratréſque chariſſimi, à gravitate

Cap. 11. de Elia.
To. 2. 21.

relaxationem, ab hilaritate modeſtiam ſeparare. Nè tùm quoque, cùm verba de ſuggeſtu ad populum non facimus, nec Chriſtianæ religionis elementa, ignaris Dei gentibus, tradimus; nec ad prolixam rerum cœleſtium contemplationem, octiduano ſeceſſu, exercitamur; nec Xenodochijs publicíſque cuſtodijs operam locamus; nec rudem ætatem litteris Chriſtianáque doctrinâ informamus; nec in nos ipſos piâ crudelitate ſævimus, fas nobis eſt ſeculari licentiâ mores ſolvere, aut oblectamenta, tametſi honeſta, ſumere non pudenter, aut denique, niſi Cruce impoſitâ humeris, interquieſcere. Audite, ad quod remiſſionis & recreationis genus hinc vos Rex Pſaltes, hinc Ephrem
Pſ. 94. 1. Cœnobiarcha invitet. *Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo ſalutari noſtro, & in Pſalmis jubilemus ei.* Tonare potiùs Ephrem videtur, quàm loqui, cùm lachrymabundi Principis Edictum exponit. *In*
De morbo lingua. To. 30. 21. *Pſalmis jubilemus ei.* IN PSALMIS, inquit, ET NON IN REBUS RIDICULIS. Effloreſcat ſanè lætitia, ſed thu-

reos

reos inter vapores; recreet Otium, ſed à vulgari licentia odio implacabili diſſideat. *In Pſalmis, & non in rebus ridiculis.* Micent ingenij lumina, ſed inter æternitatis, nuſquam interceptæ, nubes.

84. Erit forſan hìc aliquis, qui tacitus ità ſecum ratiocinetur: hâc tantâ, támque continuâ Chriſti memoriâ, & cuſtodiâ Legum, omnem corporis animíque relaxationem à religioſis ædibus arceri proſcribíque. At ego hanc ipſam ob cauſam, ut plena perfectáque relaxatio ſit, Chriſtum ab ea, nè latum quidem unguẽ, removeri debere contendo. O! miſerũ te atque infelicem, qui ſinè Chriſto lætaris, & dum oculos ad pergulas pratorúmque amœnitatem convertis, eos à Tabernaculi aſpectu avertis. *Et in* OMNIBUS VINEIS *erit planctus* (verba ſunt vaticinantis Amos) *quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus.* Tantum abeſt, ut Deus præſentiâ ſuâ hilaritatem noſtram imminuat, ut nullâ prorſus durare oblectatio poſſit, quam rerum divinarum recordatio non ſtabiliverit. *In* OMNIBUS VINEIS *Amos. 5.*

erit planctus : non quòd in eis aquarum copia lusúsque desint , non quòd artis magnificentiâ, colonorum industriâ , vitium palmitúmque cultu destituantur: sed inde videlicet erumpent lachrymæ, luctúsque resonabunt, quòd custodiri virtus, pietásque coli desierit. Audi Hieronymum. ET HÆC UNIVERSA PATIENTUR , QUIA PERTRANSIBIT *per medium eorum* DOMINUS, UT NON HABITET INTER EOS. Et vos existimaveratis, siccandos lætitiæ fontes, nisi Religio tantisper secederet. Viden', ùt aruerint, postquam Servator suas miscere aquas destitit. *Hæc universa patientur*, *quia pertransibit per medium eorum Dominus*, UT NON HABITET INTER EOS. Et verò non in Nitriæ tantùm scopulis, ubi Hieronymus aliquis saxo pectus tundat, sed in ipsa quoque superstitiosæ antiquitatis mollitie hæc doctrina resonuit: in eandem sententiam disserente Senecâ, qui in aurea Neronis domo amplissimis prædijs, omniúmque rerum copiâ circumfluebat. Is igitur charis-

Lib. 2. Com. in Amos. To. 21. 82.

rissimum amicorum Lucilium hortabatur, ut penitus in veri Gaudij cognitionem incumberet, à vulgi sordidis voluptatibus, & opinione Senatorum sanè multum abhorrentis, qui Gladiatorum furias, theatrorum insanias, venationes, piscatus, chorearum tripudia, conviviorum lautia, libidinum lustra, atque hoc genus alia humanorum affectuum irritamenta, ferináſque voluptates, gaudij nomine, appellabant falsi fallentésque. *Mi Lucili*, DISCE GAUDERE. Liber quispiam in solitario loco perlectus, Disputatio inter eruditos celebrata, Victima Dîs immortalibus cæsa, vitium compressum, facinus cum virtute patratum, periculum pro Republica susceptum, innocentia in Senatu propugnata, corruptela è civitate sublata, fucatæ voluptatis certa cognitio, ea demum sunt, quæ veri Gaudij beatam Regiam, Templúmque religiosissimum pectori tuo inædificent. DISCE GAUDERE: *nè gaudeas vanis*. Neque me velut austerum hominem, & qui omnis solatij lætitiæque te velim expertem esse, aver-

Ep. 23. To. 9. 30.

averſeris. Quin vel ex hoc ipſo amicitiâ tuâ dignus ſum, quòd felicitatem tibi minimè fluxam caducámque architector. *Exiſtimas, me nunc detrahere tibi multas voluptates. Imò contrà*, NOLO TIBI UNQUAM DEESSE LÆTITIAM. *Volo illam tibi Domi naſci: naſcitur, ſi modò intrà teipſum ſit.* CÆTERÆ HILARITATES NON IMPLENT PECTUS, SED FRONTEM REMITTUNT. *Leves ſunt, niſi fortè tu judicas illum gaudere*, QUI RIDET. Prô! quantò ſeverior eſt hominis Ethnici, ambitioni pariter & Idololatriæ addicti, oratio, præ illa Hieronymi, Sacrorum voluminum interpretis, & ſpeluncarum inquilini. Non eſt, mihi credite, non eſt Chriſtianæ mentis lætitia, Apoſtoli loricam diffibulare, Chriſti baltheum ſolvere, Moyſis Tabulas abijcere, octo Beatitudinum dignitatem elevare, fatuarum quinque Virginum infelicem ſortem flocci facere, ad ſolas denique Jobi liberorum comeſſationes aſpirare, improvisâ eorum ruinâ interitúque neglecto. Ea demum vera volu-

luptas ac lætitia eſt ; quam cordis munditiies parit, & Chriſti apud ſe hoſpitantis conſcientia. Hæc Apoſtolorum vultus, medias inter lictorum furias, iráſque Pontificum, in ſerenitatem explicuit ; hæc tempora coronis incinxit ; hæc ora in Hymnos ſolvit & Cantica. IBANT GAUDENTES *à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Act. 5. 41. Falsúſne Seneca, an Vates fuit, cùm diceret: *Mihi crede*, RES SEVERA EST VERUM GAUDIUM, ſi confecti vulneribus exultant, triumphántq; Servatoris Diſcipuli ? Nemo deinde ſibi perſvadeat, paucos illos degeneres, qui præſcriptos, à religioſa modeſtia, remiſſionibus noſtris limites, nonnihil excedunt, ideo lætari quòd cachinnantur. Titillatio quoq; laterum immodicos riſus elicit. Torquetur tamen qui ridet ; &, niſì crudelis ille luſus finiatur, mallet ire in præceps, acerbæ voluptatis impatiens: Hæc nempe oblectationum, Legibus adverſantium, & alienæ, à Sanctorum conſuetudine, relaxationis natura eſt. En vobis

testem Plutarchum, cui, medias inter erroris tenebras, Apostolicæ hujus doctrinæ radius affulsit. *Quemadmodum enim* AXILLARUM TITILLATIONES *haud proprium, neque amabilem* RISUM *præbent animo*, SED MOLESTUM *spasmóque similem: ità quascunque voluptates corpus exstimulatum ab animo turbatumque capit. Hæ nimirum & stupidæ sunt, & turbulentæ, & à natura aliena.*

85. Fremunt hoc loco, qui temperatam jucunditatem, rosásque verecundiæ oderunt, lætitiæ coronis intertextas. Id nempe agitur, inquiunt, ut vel in lusu Anachoretas repræsentemus ac Levitas. Ego verò vos in moderatis illis lusibus, qui à sacratissimis Cœtibus neque damnati, neque alieni sunt, tam hilares exultabundósque velim esse, qualem Antiquitas Principem Arrianum, Religionis hostem, & Christianorum carnificem, in omniũ deterrimo ludi genere admirata est. Videte Theodoricum, manu talos versantem, eâ verborum gravitate, compositione affectuum, iræ victorem, discen-

díque

díque avidum, ut majus aliquid, ab Auditoribus ſuis, nec Academia, nec, ſi fas eſt ità dicere, ab ijs, qui ad Aram faciunt, expectare poſſe Pietas videatur. Cùm Venerem feliciter jeciſſet, ſilebat; ridebat, cùm damnoſi ſtetiſſent canes; eundémque animum, utcumque Sors variâſſet, retinebat: atque ex ipſa fortunæ inconſtantia diſcebat, imperij ritè adminiſtrandi rationem. Quâ re fiebat, ut fritillum, quo ſe oblectabat, in arenam ſcholámque verteret, in qua, vel de ſe ſibi trophæa ſtrueret, vel animum regijs artibus erudiret. Sic de illo teſtatur, ſcribens ad Agricolam, S. Sidonius Apollinaris. *In bonis jactibus tacet*, IN MALIS RIDET, *in neutris iraſcitur*, IN UTRISQUE PHILOSOPHATVR. Nè verò quiſquam hanc AleatorisPhiloſophiam hícce rideat, putétque perfunctoriè duntaxat, & nullâ victoriæ curâ ſtudióque luſiſſe. Avidiſſimus quippe vincendi, diu multúmque teſſeras agitabat, artéque mirabili, è pyrgi anguſtijs, in abacum evolvebat: adeò ſolicitus nè vinceretur, ut

Lib. 1. Ep. 2.

ut ſpectantibus arcem potiùs obſidere, quàm ludere videretur. *Teſſeras colligit* RAPIDE, *inſpicit* SOLICITE, *volvit* ARGUTE, *mittit* INSTANTER. *Putes illum & in calculis* ARMA TRACTARE. *Sola eſt illi cura vincendi.* Nihilominus in tanta ſedulitate ludendi, & cupiditate victoriæ, Rex Hæreticus, precantes Monachos, & luſum pœne dixerim, Choro pſallentium, æquat. *In bonis jactibus tacet, in malis ridet, in neutris iraſcitur,* IN UTRISQUE PHILOSOPHATUR.

86. Tam memorabili exemplo philoſophantis in alveolo Recreationis, quã, vel Dæmone inſeſſa mens, venerabilem reddit, ùt puto, perſvaſi; petetis porrò, quâ ratione hæc motuum interiorum compoſitio, ſanè Heroica, in ipſo illecebræ guſtu poſſit obtineri? Equidem veſtis, quam gerimus; Virtus, quam didicimus; Æternitas, cui laboramus; ſatìs ſunt ad Remiſſionis ac Modeſtiæ, Diſciplinæ ac relaxationis, concordiam conciliandam. In hunc eundem finem Nazian-

zianzenus, æterni Patris Filium, carne vestitum, nos intueri jubet. Conjunxit is, Divinitatis suæ Purpuræ, humanæ cōditionis Centones: ità tamen, ut Divina Natura Humanæ antestaret semper, neq; hujus luri contagione ulla ex parte inficeretur. *Sic & cùm hominem induere dignatus est*, NON LABEM ÆTERNITATI INTULIT, UT SPIRITUS SE MUTARET IN CARNEM. Jam verò, quemadmodum duæ Naturæ sic in Servatore coaluerunt, ut neutra alteram opprimeret, multóque minùs ut cœlestis in terrenam verteretur; sic omnes Societatis hujus Alumni, religiosæ disciplinæ majestatem tuentur, cùm corpori laxamentum aliquod indulgent. *AEqualitatem*, monet S. Leo, *inviolabilem, quam habet Deitas*, NON CORRUMPIT HUMANITAS. Hæc corporis erga Servatoris Divinitatem reverentia, nec in Canæ nuptijs, nec in Ægyptum fugâ, unquam imminuta, non modò Religionis mysteria, sed Disciplinæ cœlestis forma nobis esse debent: ut neque modestiam re

Orat. 49. To. 115. 383.

Ser. 5. in Nat. Dom. To. 41. 144.

remiſſione corrumpi, neque villâ everti Clauſtrum ullo tempore patiamur. Proſequitur Leo. *Hæc Domini noſtri opera, Dilectiſſimi, non ſolùm Sacramento nobis utilia ſunt, ſed etiam imitationis exemplo.* SI IN DISCIPLINAM IPSA REMEDIA TRANSFERANTUR, *quódque impenſum eſt myſterijs*, PROSIT ET MORIBUS. Omnes Judææ colles peragrate, colligite flores, quotquot penſiles habent Babylonis Horti: Engaddianas vineas populamini: Heſebonis piſcinæ, & quicquid ibi piſcium natat, oblectandis vobis deſerviant: uter alteri palmam eripiat eruditâ ludendi dexteritate, commune omnium certamen eſto: ridete, ſi quando ſimpliciores erumpentium fontium inſidijs patuêre: Cupreſſorum ad radices umbrámque conſidentes, Horatium ac Tibullum percurrite: quid multis? à ſtudiorum labore, afflictationúmque rigore vacate, tempúſque, quod omnes Religioſi Ordines alumnis ſuis largiuntur, reparandis viribus, animóque relaxando deſtinatum ſumite, ità duntaxat, ut pietatem læti-

tia non opprimat, nec religiosa gravitas à voluptate lædatur. *AEqualitatem*, *quam habet Deitas*, NON CORRUMPIT HUMANITAS.

87. Igitur, inquies, quotiescunque foras prodibimus, amussim unà deferamus oportebit, ut verba, passus, ad perpendiculum exigentes, sciamus, quatenus liceat esse lætis. Id verò tam difficile molestúmque negotium est, ut præstet austeritatis jugo, discendísque laboribus assvetas jam cervices, reddere, quàm operosè adeò vacare. Nam si otium nobis, quod planè otium sit, contingere nequit, valeat sanè vacétque rus, aut, si necesse est rusticari, Anachoretas silentio vincemus vel in villa. Avertat Pater noster Ignatius hanc tam depravatam à filijs suis cupiditatem: quæ sub ejusmodi genere remissionis Mortem tegit. Audétne aliquis à corporis animíq; relaxatione Decorum excludere? Stabit contrà Lactantius, vetabítque verbum proferri non sacrum, sententiam audiri, quæ divinorum voluminum saporem non referat, & ad Chri-

ſtianæ virtutis non proficiat incrementū.
Lib. 6. de Ver. cult. c. 21 To. 55. 118. *Nihil* ASPECTU GRATUM *ſit*, NISI QUOD PIE, *juſtè fieri videas*: *nihil auditu ſuave*, NISI QUOD ALIT ANIMAM, MELIOREMQUE TE REDDIT. *Hæc eſt voluptas vera, quæ ſocia virtutis eſt. Cujus terminos ſi quis exceſſerit, nihilque aliud ex voluptate petièrit*, NISI IPSAM VOLUPTATEM, HIC MORTEM MEDITATUR. Haud equidem maculam pulverémque, Scriptor facundiſſimus, minatur, ſed mortem intentat, & ſepulchrum pandit. HIC MORTEM MEDITATUR. Ite jam, &, qui nihil præter otium in otio petièratis, vota veſtra iterate, ſi lubet. Vos compellat Lactantius, vobis faſces exſolvit, parátque ſupplicium, ſi quando verecundiam à riſu, gravitatem à colloquijs, ab ambulatione Modeſtiam, Moderationem Sanctitatémque ab epulis, exitiabili divortio ſejunxeritis. *Si quis nihil aliud ex voluptate petièrit*, NISI IPSAM VOLUPTATEM, *hic mortem meditatur*. Quî verò ego poſſim ſegregatis in Evangelium, & pro-

& Provinciarum ſaluti deſtinatis mentibus, id indulgere, quod Apoſtolus Paulus Neophytis ſuis, licèt paterna in domo, & cum amicis ſimulachrorum cultoribus, impietatíſque mancipijs verſarentur? *Omnis immunditia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos*, AUT STULTILOQUIUM, *aut Scurrilitas*: SED IMPLEMINI SPIRITU SANCTO, *loquentes vobiſmet ipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis Spiritualibus.* Quantò liberaliùs ego vobiſcum egi, cùm animorum contentionem, ut argumentis indifferentibus remitteretis, conceſſi, quàm Paulus exſtiterit, cum militibus, cum Inſtitoribus, cum Dynaſtis, cum Senatoribus, cum Conſulibus nuper admodum Baptiſmo luſtratis? Quod ille nè in Catechumenis quidem ſuſtinet, qui arietum, Jovi Dianæq; factorum, cruore madebant etiamnum; nos in Primogenitis Crucis, qui jam nunc Deo Deum ſuper aram litant, vel ad Sacerdotale munus vitæ ſanctitate, auſteritatéque præparantur, approbabimus ſcilicet? Enimvero ſententiam Apoſtoli,

Epheſ. 5. 4. 19.

linguam noſtram Pſalmis Davidicis, Vatúmque canticis addicentis, S. Joannes Chryſoſtomus, tantâ moderatione, ſed eâ pariter energiâ, exponit, ut defenſionem omnem præripiat, religioſam gravitatem ab hilaritate ſeparare conanti. Omnes vos, inquit, ſempérque plenos Spiritu ſancto vult Paulus, ídque conſequi optat, inſtitutis ſuper æternitate, Deíque Majeſtate colloquijs. Ego tamen his ora veſtra, ſanè beatiſſimis Divi Pauli argumentis, circumſcribere non audeo. Sed væ illi, qui moderationis hujus Evangelicæ terminos, à Chriſto ſuorum ſermonibus præfixos, egreſſus, vel amaris jocis Sodales ludificat, vel temerè Præſidum geſta proſcindit, vel denique, venerabile ſibi quondam Inſtitutum vivendi, impiè vecors ingratúſque laceſſit. Iſta profectò facetiarum, querelarum, criminationúmque proluvies, non è Jordane Cedronéque, ſed è Chaldæis torrentibus exundat. MAGNA MALA MENTEM ILLAM, *quæ facetijs iſtis urbanis dedita eſt*, INHABITANT. *Linguam habes, non ut alios ſali-*

in Hom. 17. Ep. ad Eph. To. 47.131

libus mordeas, ſed ut Deo gratias agas. Ex-*terminate, obſecro, ex animis veſtris* IN-GRATAM ISTAM GRATIAM. Secundùm hæc, omni Leone ferociùs ſonantiúſq; rugiens, Gnathonibus, inquit, Hiſtrionibus, Heluonibus, licentes ejuſmodi oblectationes, cachinnóſque relinquite. PARASITORUM RES EST ILLA, *mimorum Saltatorum.* Quæ ſequuntur, acerbiora ſunt, quàm ut proferri à me, audiri à vobis, queant.

88. Quàm autem ego non ex merito cum ijs egi, qui tam religiosè ſanctéq; animos relaxant? ſermonéſne vel aculeatos, vel improvidos, vel licentiores, ego veritus ſim proferendos ab ijs, qui in Villa Indias meditantur? Quid? an non frementes Inferos, Vacationéſque noſtras execrantes Cacodæmones, exaudio, qui Aſſyrios imitati, non minori ejulatu cladem ſuam, & juventutis noſtræ ſacras expeditiones execrantur, quas illa in Tuſculanos Tiburtinóſque pagos, tanto cum fructu, ſuſcipit obítque. Proclamat Lucifer, ùt Vagao quondam ululabat: *Vna*

Iudith.14. 16. *Mulier Hebræa fecit confusionem in domo Regis Nabuchodonosor: Ecce Holofernes jacet in terra, & caput ejus non est in illo.* Equidem, inquit ille, quòd isti, post enavigatum Oceanum, sub Zonæ ardentis æstu, Políque frigoribus, in Provincijs illis, in quibus fame sitíque conficiuntur, vinculis onerantur, fustibus cæduntur, immerguntur fossis, lentis ignibus palo defixi torrentur, prædam mihi eripiant, graviter fero. Sed id tamen à nascentis Ecclesiæ ortu, per trecentos annos, passus sum. Quòd deinde in octo dierum exercitatione, ad quam pessima hæc natio quotannis secedit, purgetur à maculis, ornetur virtutibus, ad cœlum usque sese sustollat, Mundo eripiat, vulneribus conficiat, primævam innocentiam reparet, ex merito doleo. Sed enim Anachoretas multò antè passus sum, qui prolixiùs divina contemplari, immitiúsque in sua corpora sævire, consveverunt. Quòd in Gymnasijs, Theologiâ suâ, Hæreses meas Doctores evertant, vitia profligent disserentes in Templis, in Cœtibus privatis, Sacramen-

torum frequentiâ, ex hominum animis me depellant, bonarum artium professione, morum integerrimorum exemplis, monitísque saluberrimis aditum mihi ad juvenum mentes obstruant, me plusquam tartareis ignibus urit. Quòd deniq; quocunque in lecto moribundus aliquis jacet, quacunque in triremi mancipium sedet in transtris, quamcunque ad Crucem reus raptatur, quacunque in arena gladiatores congrediuntur, istos præsentes hortatorésque reperiam; ut inimicitias osculis aboleant; infamem trabem, in gloriæ thronos; remigantium furias, in contritæ mentis sacrificium; ejulatus desperationémque morientium, in suspiria pietatis, in Hymnos, proximæ beatitatis pignora, demutent, ferre forsan aliquâ ratione possem. At verò, quòd Autumnales vacationes, Apostolicis expeditionibus consecrant, cùm ad rusticanos homines, de superiore loco verba faciunt, peccantes à noxis emundant, Christi corpore sanguinéque pascunt Numinis hostes, nunc denique peccatorum confessione in gratiam

receptos: id, inquam, intolerandum mihi prorsus, atque omnem Inferorum patientiam consumit. Itáne autem isti, nominis mei hostes acerbissimi, tùm quoq; cùm magnam partem silentij legibus eximuntur, statæque precationis tempora nonnihil contrahunt, cùm tardiùs somnū abrumpunt, lautiúsque reficiuntur, regnum meum vastabunt, subjectos mihi populos abducent, prædam eripient, méque, è veteri imperio, quod superstitio, flagitia, inimicitiæ, impietas, perfidia, in tot mihi provincijs asseruerat, dejectum in exilium agent, religione, pietate, concordiâ, virtute ubique stabilitâ, & in regnum intrusâ? Et hanc ego cladem ab illis tum maximè accipiam, cùm rusticantur, & agunt otia? An non est id Assyrij Regis cladem, duce fœminâ, renovare? UNA MULIER HEBRÆA *fecit confusionem in Domo Regis Nabuchodonosor.* Urunt illi me magìs, cùm corpora curant, quàm cùm flagris conscindunt. Villam illorum implacabiliùs odi, quàm Collegia: enervat me magìs illorum refectio, quàm

quàm inedia: riſus illorum, quàm ritus, vehementiùs expaveſco. Viden', ùt, in media Vindemiarum licentia, lachrymentur agricolæ? Viden', ùt totum, quà pertinet, Latinorum montium jugum, Niniven quandam referat dolore pietatéq;, ſubrogatâ ubique intemperantiæ Caſtitate? *Ecce* HOLOFERNES JACET IN TERRA, *& caput ejus non eſt in illo.* Quid autem ab his non metuamus? cùm preces fundent, cùm afflictationibus voluntarijs, laboribus, ultro ſuſceptis, Martyrio proludent; ſi, cùm ferias agunt, tantâ nos clade proſternunt? Hanc verò infeliciſſimam rerum noſtrarum converſionem jam tùm præcipere animo debueramus, cùm illi, neſcio quo ſuperſtitionis ingenio, ſub ipſas Septembris Calendas, ſuperioribus ſcholis juſtitium, ſtudijſque litterarum vacationem indicunt. Continuò enim, infelices iſti, hujus, univerſis terrarum populis, & Academijs omnibus, inviſæ Societatis Scholaſtici, litterarum exercitationem ignavæ ſervitutis, importunæque auſteritatis miniſterijs permutant.

tant. Hic enim Janitori vicariam operam locat, & pro ſtylo, claves tractat: ille mediaſtini more præcinctus, valetudinarij moleſtis laboribus defungitur: alius ſacrarij cuſtodibus additus, aut aras exornat, aut Æs campanum pulſat. Plures publicas cuſtodias adeunt, & à peccatis exſolvunt à Quæſtore datos in compedē. Univerſi denique ſtatim, ubi in urbem è villa rediêre, Solitudinem, ceu ementitam quandam Carthuſiam, ſibi formant, octonóſque dies continuos ipſi ſe in conclavia compingunt, rerúmque cœleſtiū meditationi quaternas, prô ſcelus! per diem horas impendunt. Hanc deinde precum prolixitatem, aſperitate vitæ, publicè privatímque ſe ſe afflictantes, cumulant: ſeu appoſitos cibos ſtudiosè corrumpant, ſeu linguâ pavimento Crucem inſcribant; ſeu poſitis genibus, paſsíſque brachijs, tanquam in Crucem acti, procumbant; ſeu, brutarum animantium inſtar, ſtratis humi corporibus, alienæ dapis reliquias vorent; ſeu flagris ſe, in cœnantium oculis, excipiant ſervorum reorúm-

rúmque ſupplicio: ſeu denique in ſolitudine illa ſua ſuſpirijs, lachrymíſque ſanguinem & vulnera miſceant, inhumani ſui ipſorum carnifices. Jam verò quam cladem, quas tempeſtates, è gravidis híſce nubibus, non erupturas verebimur in copioſam flagitiorum meſſem, tanto labore noſtro in hominum animis proſeminatorum? Has aliáſque hujuſmodi exercitationes, Ignatij filij, ſtudiorum ferias, per ſummam Hypocriſin, appellant, ſed eas nos, calamitatum noſtrarum artifices, noſtræque quieti exitiabiles conjurationes experimur, iiſque dolis juventus omnis, execrabilis hujus Cœtûs, armatur, prodítque in campum, neceſſariæ quietis obtentu, revera inferos mortalibus omnibus occluſura. Neque id Sacerdotibus & Theologis duntaxat, aut ijs, qui proximè ad aras admovebuntur, in more poſitum eſt: Rhetores quoque adoleſcentuli imberbes, ſcientiâ & auctoritate deſtituti, eo vultu, qui aut non ità pridem ab ubere avulſos demonſtret, aut profanæ litteraturæ pulvere ſordeat, è Tiburtinis me ſco-

ſcopulis exigunt, & è Montis ſui pergulis oleiſque, relata ex me trophæa, ſuſpendunt, victoriáſque inſcribunt. Ipſi quoq; Tuſculanis Miſſionarijs diris vocibus reſponſant, tantóque turpiùs horum ſermonibus & exemplis profligamur, quantò eſt eorum ætas Apoſtolicis expeditionibus immaturior, & viribus, ſapientiâ, ſacris Ordinibus deſtituta. Auditis, ùt Cœlites vobis inſultent? ùt, ſpreto omni noſtro armorum apparatu, occinant lætabundi: SAGITTÆ PARVULORUM *factæ ſunt plagæ eorum.* Illic, ut nullum nobis deeſſet opprobrij genus, nè ipſe quoque Diœceſeos Moderator, tam claro inter Romanos genere, ingenio, ſapientiâ, virtute nobilior, licèt Infulis redimitus, & purpurâ Regibus par, inferius dignitate ſuâ non putat, operam ſuam juvenibus ſociare, laceris, egentibus, & in ruinam noſtram incumbere: imò non contentus illorum induſtriam commendare, ipſe quoque incruentam Hoſtiam, lachrymantibus populis, dividit, & oratione ſuâ novas pietatis aggerit flammas.

Pſ. 63. 8.

Quô

Quô fit, ut, dum tantus Vaticani Senatûs Princeps, infelicibus istis Missionarijs, se Collegam addit, eorum verbis robur, vim machinis, consilijs auctoritatem conciliet, omnémq; nobis omnibus, quotquot Orcus Dæmones habet, spem eripiat expeditionem ejusmodi frustrandi. Et tamen ab hoc ego nihil unquam, præter vulnera, cladémque mihi metuebam, cùm ipsa gentilitia ejus insignia, præter aliorum morem, qui familiæ tesseras feris, fasciisque militaribus distinguunt, Christi Crucem multiplici figurâ præferant; eam videlicet Crucem, quæ vires nostras infregit, potentiam stravit, & Cœlum, à quo pridem omnes Evæ filij exulaverant, reclusit. Quæ verò in nos arma non intorquebit inter sacros calices, divinique Panis Azyma, Hostis ille noster acerbissimus, cùm in ipsa Superbiæ pompa Crucem explicet, nósque sub jugum mittat? Hæc aliáque plura fremant sanè Inferi, quando eò ampliùs Cœlum triumphat, quò illi desperatiùs dolent, habétque lætitiæ materiam, non unum tantùm operâ vestrâ

re-

reductum ad frugem, ſed innumerabiles, quos egregia veſtra ſtudia Crucifixi pedibus ſubjecerunt. O! vos felices, qui tam religiosè me hìc auditis, & per colles illos, qualia deſcripſimus, Apoſtolica edetis opera Victores ſcelerum, hominúmque reparatores! in hac ſanctiſſimarum Actionum luce omnis penitus ſuſpicionis umbra vaneſcat, quaſi Edictum Chriſti: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire*, per Autumnales Vacationes adire periculum deberet. Quin perſvaſum planè habere vos velim, fore, ut per imminentis Vacationis otium, & in tanta ad frugem reductorum multitudine, Chriſto, tanquam flore integritatis, in pectoribus veſtris confirmatæ, excultæ in alienis, ſi unquam aliàs pleniſſimè perfruamini. Nemo enim negaverit, in vos cadere Meſſiæ oraculum, longè feliciſſimum Sodalem ſe vobis pollicentis, atque illud Archangelorum vocibus ingeminantis: *Ego flos campi.*

EX-

EXHORTATIO XLIV.

Die S. Bonaventuræ Sacro.

Vos eſtis Sal terræ. *Matth. 5.*

N*Emo in Societate noſtra Sal Mundi efficitur, nisì qui mundo penitus emoritur. Quemadmodum Aqua, ut in Salem vertatur, è mari ſeparetur, mutétque Naturam neceſse eſt; ſic qui in Apoſtolum fingitur, odiſſe mundum, & ab omni ejus conſuetudine abhorrere debet.* Hæc *porrò Metamorphoſis, Mortis nomine appellatur à Chriſto: ut ſciamus, rerum terrenarum neque ſenſum, neque cupiditatem, neque cognitionem, in Nobis ſupereſſe oportere. Quare qui movetur incommodis, aut honoribus delectatur, is beatam ejuſmodi mortem*

nondum obijt. Unusquisque proinde nostrûm, extra omnem Naturæ sensum positus, nullâ ejus affectione moveatur, ut sanctè mortuus, vitam Gratiæ inspiret mortalibus semper duraturam.

89. PErhonorifica ejusmodi appellatio, quâ Christus Discipulos suos insignivit, cùm eos *Salem Mundi*, hoc est Populorum reformatores dixit, ab Ecclesia Doctoribus suis impertitur, ac subinde transfertur ad eos, de quibus cum Daniele dicere possumus: *Ad doctrinam erudiunt multos.* His ità constitutis, quando Divinæ Clementiæ visum est, minimâ hanc suam Societatem sacræ doctrinæ, solidæque sapientiæ fluminibus, cùm ad rectè sentiendum, tum ad bene vivendum summè necessarijs, inundare, de nobis quoque non abs re dicere quis possit: *Vos estis Sal terræ.* Quod decus prorsus insigne, planéque Apostolicum, ùt ingens unicui-

que

que afferre ſolatium poteſt, ſic noſtri nos muneris admonet neceſſitatíſque, quâ premimur, ſiquidem ejuſmodi nomenclatio, quam S. Doctor, cui feſtam hanc diem agimus, nobis commodavit, delectat, in Mundi Salem nos convertendi: alioquin ijs obruendi calamitatibus, quas Chriſtus, Apoſtolicæ vitæ ſpeciem potiùs, quàm rem ſectantibus, minatur. Conſiderabimus proinde, qualem nobis neceſſitatem virtutis tanti nominis Majeſtas imponat, ſed antè, quæ ſit muneris, quod gerimus, dignitas & excellentia, videbimus.

90. *Vos eſtis Sal terræ.* Si id duntaxat in hominum animis efficeremus, quod Sal corporibus præſtat, ea proculdubio Profeſſionis noſtræ dignitas, id in humanum genus meritum foret, ut, citra Hyperbolem, Servatores ſuos appellare nos poſſet Orbis terrarum. Quantò autem plura majoráque beneficia mentibus Sapientia præſtat & Zelus, quàm Sal corporibus commodet! Equidem ut ille carnem & ſanguinem à putredine ſervet, non tamen

in vitam revocat ſemel corrupta. At verò Evangelicæ Doctrinæ Sale, non modò depravatas mentes ab ultima omnimodáque corruptione arcet, verùm corruptas quoque per eum, quem ingerit, ſaluberrimi doloris ſenſum, ad recipiendam Gratiæ vitam præparat, ac velut altera ſupremæ diei Tuba, jam olim defunctis, quos curandos perungendóſque ſuſcepit, illud ingeminat Angeli, *Surgite mortui.* Hinc non habet Eccleſia munus ullum, aut vitæ profeſſionem, quæ, cum hac animos conſecrandi provincia, in contentionem veniat, aut de palma decertet. Et verò S. Hieronymus, cùm viſus ſibi eſſet in Carmeli faſtigium evaſiſſe, & inter beatiſſimi nemoris illius delicias, auræque, quam Eliæ ſuſpiria & Eliſæi preces cônſecraverant, afflatus, cum Sodalibus vitam agitare, ſacra volumina interpretando, vatúmque oracula contemplando: Subinde tam beati ſeceſsûs, præceptæque animo felicitatis, imagine plenus, lachrymíſque, quas jucundiſſimæ ſanctiſſimæque vitæ conditio uberrimas exprimebat, in-

infusus, an non est hoc, exclamat, Beatorum Cœlitum gloriam, tum promeritorum tum gaudiorum copiâ occupare, in eo vitæ genere, quod se Deo, per ejus naturæ contemplationem, ac quietis imitationem, proximè admovit? Quæ omnia ille totidem pæne verbis ad Paulinum scripsit. *Oro te, frater charissime*, INTER HÆC VIVERE, *ista meditari, nihil aliud nôsse, nihil quærere: nonne tibi videtur* JAM HIC *in* TERRIS REGNI COELESTIS HABITACULUM? *Epist. 103. To: 17.313.*

91. Verumenimvero his Vitæ, plusquam Angelicæ, rationibus non modò non subscribit Bernardus, Dux licèt Contemplatorum ac Præceptor, sed palàm repugnat testatúrque, huic Anachoretarum ambrosiæ, longè præstare Apostolicorum Operariorum absynthium, qui è peccantium vulneribus virus, saniémque flagitiorum exsugant. Ego certè, inquit Bernardus, si Christum in Thabore transformatum viderem, libens omnem ejus gloriam inaspectam relinquerem, si sperarem futurum, ut Bethaniæ putrem, ar-

rosúmque vermibus Peccatorem, excita-
Ioan. 11.43. re dicto ejusmodi possem: *Veni foras*. Pa-
tiar exclamare Petrum, divinæ pulchritu-
Matth.15.4. dinis luce attonitum: *Bonum est nos hic esse*:
dum mihi liceat, Angeli ductu, Probaticā
piscinam accedere, ut, dum ille, aquæ
motu, ægro cuipiam salutem restituit,
ego jacentium singulos, universos lachry-
marum mari obrutos, compellare sic pos-
Ioan. 5. 4. sim: *Iam noli peccare*. Præbeat, qui vo-
let, aures Christo in montis apice, octo
felicitatis capita recensenti; nam ego, ad
radicem subsistens, Elephantiacum, cujus
mentem magìs quàm corpus scelera infe-
cêre, linguâ extergam. *Meliora ubera tua*
Cant. 1. 2. *vino*: quando vicinior multò similiórque
Deo efficitur, qui hominum, pro quo-
rum salute vitam Christus in Cruce posuit,
exesas vitiorum carie mentes in vitam re-
vocat, quàm qui divinæ formæ imaginem,
in illius vultu expressam, in Monte con-
templatur.

92. Ità sentit Bernardus in sermone
octavo, quem Claravalle vel dictavit, vel
recitavit. Et tamen, cùm Salem Evange-
li-

licum, Beatorum Cœlitûm gaudijs prælatum, extulerit tam magnificè, veras ejus laudes nè attigit quidem. Munus namque expurgandi animos, Provinciásque Sanctitati consecrandi, non solùm Dei, in monte visi, spectaculo antefertur, sed parùm abest quin dicam, eidem præponi, viso possessóque vel apud Superos. Dicant sanè, quantumcunque volent, Isaias & Paulus: *Oculus non vidit, auris non audivit, in cor hominis non ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Non enim ideo inenarrabilis hujus felicitatis immensitate fruentibus invidere debemus, si modò Salis Apostolici prærogativam teneamus, Mundúmque à vitiorũ corruptione præstemus incolumem, revocatis præterea Gentibus è criminum sepulchris ad vitam Virtutis. Audite atque obstupescite Apostolum exclamantem: *Coarctor ex duobus, & quid eligam ignoro.* Ego, inquit Paulus, inter sacrum & saxum, cum Susanna deprehensum me sentio, nec quò me convertam scio. Equidem arbitrabar Apostolum, cùm hæc Philippensibus

1. Cor. 2.

ſcriberet ; dubium hæſiſſe, utrùm è majore Dei gloria foret, in Macedonia ſubſiſtere, aut in Aſiam reverti, ac Romam porrò proficiſci. Et verò minimè mirum mihi videbatur, cùm inter Provincias, nobilitate, frequentiâ & rerum geſtarum gloriâ pares, controverſia eſſet, dubium hærere Paulum, quam potiſſimùm peteret, in qua priùs Crucis vexillum erigeret, jaceretque Evangelij ſementem. Tum enimverò attonitum me admiratio reliquit, cùm intellexi, in eo Paulum hærere perplexum, præſtarétne corporis cuſtodiâ eductum, Chriſti cœlo regnantis, & radijs coronati, aſpectum poſcere potiùs, quàm terras peragrare, vivereque vel compedes inter & verbera, quò Gentes ad Dei cognitionem adductas porrò excoleret. COARCTOR
ad Philip. 1. 2. 3. EX HIS DUOBUS, *deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, manere autem in carne magis neceſſarium propter vos.* Satíſne autem ſani hominis eſt, inter diverſas adeò res poſitum exclamare : QUID ELIGAM IGNORO? Ergo Romam inter

inter ac Cœlum, inter Pelagi tempeſtates, & alluentis Civitatem Dei Torrentis voluptates, inter Neronis demum immitiſſimi Tyrannorum, & Numinis amplexus, inſtitui comparatio poteſt? Poteſt profectò, inquit Chryſoſtomus, neque ſolùm poteſt, verùm carnificum tormentis, ſaxorum imbribus, aſpidum morſibus, naufragijs Oceani, Proconſulum, Prætorum, Cæſarum violentiæ, avaritiæ, crudelitati poſtponi poſſunt Angelorum cantica, coronæque felicitatis æternæ, cùm in immaniſſimis tormentis ſpes effulget peccantē emendandi. *Manere autem in carne* MAGIS NECESSARIUM. Et quæ illa caro erat, in qua remanere Paulus ſuſtinebat? Nempe quam non modò carnifices flagris laniabant, ſed Cacodæmon quoque igneis ſagittis fodicabat, irritabátque ad ſcelus. Inter has tamen Inferorū flammas, & furias Cæſarum poſitus exclamabat: *Quid eligam ignoro.* Sed illo quoque fortiùs exclamat laudatus Scriptor: *Papæ! qualis Vir iſte eſt! futura metuis, malis innumeris obnoxius es, &* APUD *Hom. 4. ad Philip. To. 4, 17.*

CHRISTUM ESSE NON VIS? *Non; ut quos Christo lucrifeci servos*, MELIORES CONSTITUAM. Hoc salutis alienæ studio planè incomparabili, charitatísque inter homines inauditæ magnitudine attonitus, colligit in hunc modum: *Huic viro nec par unquā fuit*, NEC ERIT. Quo in Epiphonemate, ut historiæ suæ fides constet, vaticinationem tamen, bonâ quidem Chrysostomi veniâ, probare non possum. Non extitisse ante Paulum, qui pari humanæ salutis studio teneretur, penes anteactorum temporum Annales judicium esto, cui ego haud gravatè accedam, paratus quin etiam dicere cum Chrysostomo: *Huic viro nec par unquam fuit*: at non habuisse deinceps Ecclesiam, qui simili mentis ardore succensus Cœlum differret, nova Religioni regna subjiciendi studio, id profectò dici sinè gravi seculi prioris injuria nequit, quô Deus hæc amoris prodigia instaurare inter Orthodoxos voluit. Ejus Parentis filij sumus, qui non modò cœlestes sibi triumphos comperendinari æquo esset animo passurus, si

mo-

modò, in terra relictus, unam amoliri Dei offensam posset, sed qui salutis suæ incertus, æternæque periculo damnationis obnoxius, versari sustineret inter homines, ità duntaxat, ut in ejusmodi ambiguitate, quæ homini, res æternas suis momentis libranti, non nisi molestissima esse posset, constitutus, exploratum haberet, reducendos ad Numinis obsequium operâ suâ seu multos, seu unum aliquem, qui ab eo defecisset, aut divinas ejus leges contempisset. *Malle se Beatitudinis incertum vivere, & interim Deo inservire & proximorum saluti, quàm certum ejusdem gloriæ statim mori.* Hæc de Ignatio in matutinis precibus Ecclesia recitat. Quòd si ergo tanti est, Mundi Salem esse, ut Apostolus cœlestes voluptates differat, Ignatius vel periculo exponat, quis deinde non ultrò fatebitur, non esse inter mortales Ministerium ullum, quod cum nostro venire in comparationem possit, utique cui Deus ipse, vel in Palæstinis collibus visus, vel inter Cœlites à beata mente possessus, postpositus sit. Quam ob rem cùm his

ver-

verbis compellamur: *Vos estis Sal terræ*; ijs titulis insignimur, quibus majores in Orbe terrarum contingere possunt nemini, qui nomen Apostoli ac provinciam sortitus est.

93. Sed in eo scilicet omnis istius negotij cardo vertitur, ut tanti nominis mensuram impleamus, omnibus affectionibus nostris in eos sensus, quos Servator inesse Heroibus hisce suis cupit, penitus transmutatis. Sal, cujus in Judæa, & in aliqua regione Italiæ usus est, non nascitur, sed in pelago conficitur: quod cùm ventis intumuit, paratísque in eam rem arcis superfusum est, subinde, aggerum objectu retentum, paulatim in Salem duratur. Et certè majorem hâc mutationem vix reperias: quippe cùm antehac marinæ undæ omni aurâ crisparentur, turbine quolibet concitarentur, irrequietæ semper ac plerumque procellosæ in voragines dehiscere, assurgere in montes, haurire cum vectoribus naves, & vel ipsos Dei immortalis Vates, & Ninivitarum expiatores Jonas, balænis devorandos objicere consye-

ſveviſſent; ſubinde Solis radijs exterſæ, & in candidiſſimum lapidem duratæ, nullo flatu moventur, nullo turbine agitantur, nullis navibus noxiæ; ſed tranquillâ ſemper æquabilíque conſtantiâ, indolis probitatem candore teſtantur, nativámque acrimoniam eatenus ſolùm exſerunt, ut corruptionem à corporibus, ab epulis fatuitatem tollant, ut ſcires non aliud naturæ balſamum, cœleſtíſque Gratiæ Hieroglyphicum eſſe. Idipſum Eccleſiæ humaníſque animis præſtat, qui affectuum ſuorum inconſtantiam ac procellas in firmitatem, candorémque Virtutis Apoſtolicæ convertit: quod Chriſtus diſcipulis ſuis ſignificavit, cùm diceret: *Vos eſtis Sal terræ.*

94. Id verò mutationis genus ab Operariis Apoſtolicis jure requiritur. Cùm enim, qui mutat, ab eo quod mutatur, diverſus eſſe debeat, conſectaneũ eſt, ut, niſi Nos ſeculi vanitati vivere penitus deſiiſſemus, nullâ ratione poſſemus profanis hominibus, ambitionis avaritiæq; quibus videlicet rebus ij vitam ſuſtinent, hor-

horrorem, Christianámque animi magnitudinem ingenerate. Eam verò de pravis cupiditatibus victoriam Messias declaravit expressiùs, cùm hanc Aquæ in Salem mutationem sectatoribus suis declarâsse non contentus, mortem ijs potiùs naturalium propensionum, quàm mortificationem, proposuit. Frumento proinde Ministros suos in sulcos abjecto, & à pluviis corrupto, comparavit. NISI GRA-
Io. 12. 24. NUM FRUMENTI *cadens in terram* MORTUUM FUERIT, *ipsum solum manet*. Quod tantundem erat, ac dicere: Si Regiones expiare, si Lazaros excitare ad vitam, revocaréque è tumulis optatis, perdomandas perturbationes, imò exstinguendas vobis esse scitote: quare, si antehac, in Salem ut vos verteretis, edixi, hominum mentes à corruptelis vitiorum servaturi; nunc jubeo frumenti instar dissolvi atque emori, ut Ecclesiæ agrum, lachrymis sua commissa damnantis, irrigetis, & Cœli horrea animarum messe repleatis. Hæc Dei filius requirit ab ijs, qui Apostolicæ vitæ decus consectantur. At quis

quis nostrûm, qui Orbis Apostoli, & utriúsque Mundi Servatores, dicimur, id se præstare nobis confirmat? Quis penitus, atque, ùt Evangelium monet, emoritur, jacétque immobilis, Apostolicâ morte defunctus? En in Christo mortuorum descriptionem. *Mortuus est*, inquit Augustinus, QUI, QUANTUMLIBET PULSES, NON EXPERGISCITUR. Si pulsati non movemur, si palpati non lætamur, si contusi discerptique non ingemiscimus, tùm profectò verè divinéque mortui sumus. Prô quantum Augustini doctrina me terret! Ergóne mortuus dici non possum, nisi pugionibus confossus, concisúsque securibus, non modò non indigner aut expallescam, sed si modò excitér atque evigilem? MORTUUS EST, *qui* QUANTUMLIBET LANIES, *non expergiscitur*. Et deinceps me sensu carere gloriabor, méque velut sacrum Calvariæ cadaver jactabo, si dicto quolibet tactúque exardesco, & quâcunque scintillâ, vel imminutæ vel periclitantis famæ, ictus exsilio; si Apologias armo, & vindictam in-

Ser. 44. de Verb. Domini. To. 26. 70.

inclamo? Dic autem amabo, quod genus hoc mortis eſt, quæ omnem motum longè perſentiſcit, & ad omnem injuriæ umbram commovetur? Atqui is, quem dicebam, mortuus nec intelligit, nec meminit, nec amat, nec odit, & interiorum facultatum deſuetudine, exteriorem quoque uſum amittit: nam nec audit, aut loquitur, aut ſentit, aut ridet, aut dolet. Quocunque loco depoſitus fuerit, jacet; inornatus aut comptus, prout alteri viſum, nihil vel cupit vel averſatur: nec ullam, niſi in propria damna, vim habet; ex ſe namque hoſtes ſibi parat, id eſt vermes generat, à quibus deformetur conſumatúrque. Quâ igitur ratione, cùm communi omnibus moriendi neceſſitate proſtratus ſic jaceat, ſanctiore quodam, peculiaríque mortis genere defunctum ſe gloriabitur is, qui dudum depoſitas ſeculi pompas mente retractat; qui conſanguineos, è quorum ſinu aufugit, amore proſequitur; qui de patria, quam Chriſto poſtpoſuit, magnificè diſſerit; qui non modò ea, quæ patitur, videt, ſed quæ in fu-

futurum ſe paſſurum ſomniat, multò antè proſpicit? Quid ſi plura quoque, quàm dicat, perſentiſcat; plura quàm audierit, reponat? qui, nè contactus quidem, exclamet? qui mollia inter & aſpera diſcrimen ſtatuat? imò mel amarum, vel dulce, reputet, Evangelicæ quietis pertæſus, cupidúſque veteri Mundi labyrintho implicari, & vertigine circumagi? Quô pactô Solymis, inter ſacri thuris vapores, obiimus, ſi vivaciores modò ſumus, quàm cùm olim, paleas inter Ægypti lateréſq;, ſudaremus anheli? Illóſne autem in mortuorum numero reponemus, quorum orexim, vel ſolus veterum ollarum fumus, tam fœdum in morem ſtimulat, ut Contemplationem, veras Cœli delicias, & Pœnitentis animi ſenſus ſvaviſſimos, divini Manna Sacrarij, Angelis remittant? Sumus profectò ſepulti, quando in Domo Dei, hoc eſt in ſacro Chriſti ſepulchro, ſumus, quod juratæ Perſeverantiæ grande ſaxum premit, ſolâ denique communi omnibus Anaſtaſi removendum. Sed enim mortui proculdubio non ſumus, ſi, omni

loco ac tempore, augendis commodis nostris invigilamus tam attentè, tótque oculos, ad aliena emolumenta pervidenda, nobis invidia recludit. Magnopere vereor, nè in aliquem nostrûm, si quidem in tanto numero egregiorum Dei servorum est vel unus ab his diversus, cadat idipsum, quod Seneca ignavis quibusdam Romanis obijcit, qui Cæsarum ferendæ Tyrannidi jam impares, pugionem pectori admovebant, aliquando tandem servitutem, ùt videbantur, exituri; nunquam tamen cũ demittebant in viscera, vel summam cutem perstringebant: adeò scilicet mortem horrebant, & cruorem aversabantur. *Plerique inter mortis metum, & vitæ tormenta, miseri fluctuant*: ET VIVERE NOLUNT, ET MORI NESCIUNT. Videbitis interdum, adolescentes illustres ortu, & ad omnia summa natos, è paternis ædibus se proripere: ac rebus juxtà spebúsque omnibus conculcatis, ad hunc nostrum Calvariæ Montem properare, non alio consilio, quàm ut Christi Cruci affixi mortem simili exitu repræsentent.

Lib. 1. Ep. 4. ad Lucil.
To. 9. 13.

Sub-

Subinde tamen, objecto qualicunque clavo, gradum referunt, ſpinâ quâlibet puncti aguntur in fugam, ſolâ denique Crucis umbrâ exanimantur. Quibus quidem verbis caveo potiùs, nè quid ejuſmodi eveniat, quàm, quòd eveniat, reprehendo. Et cur obſecro huc convolâſtis, ſi cruci affigi propoſitum non erat? An non ij vos eſtis, quos ridet Philoſophus, atque eadem probra ingerit. *Et vivere nolunt, & mori neſciunt?*

95. Sed eò major iſtorum calamitas eſt, quò in Calvario pejus moriuntur, qui vel Crucem fugiunt, vel utcunque amplexi, centúmque confixi clavis, nunquã tamen emoriuntur, in trabe diſtendi, conficíque vulneribus vitam putantes. Nam qui in hac Domo poſitus, in qua cum totius Urbis admiratione felicem plerique mortem appetunt, non generosè ſemel vitam projicit, deſideriáque ſua omnia immolat, is momentis omnibus animam agit, æqualibus inviſus, à Præſidibus, ejúſque calamitatem miſerantibus, ad mortem nullo non tempore adactus. Potéſt-

ne autem placere alicui pœna tam atrox, assidua, probrosáque, cùm liceat voto consequi, quod optamus; &, excusso pravarum cupiditatum jugo, in beatæ mortis libertatem se asserere, idoneósque reddere ad quatriduanos omnes, quos deplorat Ecclesia, revocandos in vitam? Temperare mihi hoc loco nequeo, quin pares, cum Ethicorum Principe, affectus induã, admirationis indignationísque, quibus ille homines quosdam est prosecutus, qui, cùm videri in publico sinè ignominiæ notis, & maximarum calamitatum appendice, non possint, exiguas tamen vitæ reliquias, vel ab ergastulis crucibúsque emendicant, útque unum alterúmve mensem Spiritum protrahant, millies quotidie mori non gravantur. QUID TAM FOEDA VITÆ MENDICATIO? *Invenitur, qui malit inter supplicia tabescere; & perire membratim*, ET TOTIES PER STILLICIDIA AMITTERE ANIMAM, QUAM SEMEL EXHALARE? *Invenitur, qui velit adactus ad illud infelix lignum, jam debilis, jam pravus, & in*

Ep. 101. ad Lucil. To. 29 263.

in fœdum ſcapularum ac pectoris tuber eliſus, cui multæ moriendi cauſæ, etiam extra crucem, fuerant, TRAHERE ANIMAM TOT TORMENTA TRACTURAM? Continere nos à fatalis montis aſcenſu debueramus, ſi mori, & in Cruce Spiritum profundere, propoſitum animo non erat. Non alia res tantum hominibus pavorem injiceret, armatóſque exercitus ageret in fugam, quàm ſi poſitum in ſandapila cadaver, manum attolleret, oculúmque aperiret ſimul clauderétque. At nec ille fato functus eſſe dicendus eſt, cujus, licèt multa membra torpeant, jaceántque ſinè motu caloréque vitali, unum tamen ſenſu non careat. Spiritus licèt arctè means interruptúſque, arteriæ quanquam formicantis ictus, cordis etſi tenuiſſima palpitatio, vivos eſſe demonſtrat, &, ùt morti proximos, ob tantam virium imbecillitatem, fateamur, mortuos negamus: atq; adeò vitæ compotes, & beatitudinis expertes, pronunciamus. Ærumnas, egeſtatem, labores non ſentis; ſed injuriâ qualibet commoveris. Strictos in te gla-

 dios

dios vides, nec vitam æstimas: at quanta tibi cura est, nè primô inter Collegas locô deturberis. Innumerabilium rerum sensum perdidisse non est satìs, ut nomen nostrum in eorum Catalogum referatur, de quibus dicitur: BEATI MORTUI, *qui in Domino moriuntur*, si modò unicuipiam rei vivamus. Qui verè vitâ excesserunt, perinde ad pœnas & voluptates, hoc est, nullâ ratione afficiuntur. Neque cadaveribus sensus inest, neque Cruci affixis motus, neque procella Sali. Postquam nos cum Christo confixos Cruci esse professi fuimus, in qua, sub prima vitæ melioris exordia, in Patris æterni manus Spiritum exhalavimus; si deinde vel pedem refigamus, vel manum exsolvamus, vel è capite spinam excutiamus, vel ore verbum unũ VOLO, aut NOLO, proferamus, vel denique latus ab imminente ictu subtraxerimus, Calvarium dehonestemus necesse est, eo loco nos vivere demonstrantes, ubi nos obijsse gloriabamur. Caveamus, nè intermortui magìs, quàm mortui videamur. Id quod statim patebit, si, odora-

to

to liquore aſperſis, ſenſus atque animus redeat, plausúque excitemur: ſi vel leviter icti exilimus in pedes, adverſariúmque totâ virium contentione repellimus. At neque in noſtro jam arbitrio poſitum eſt, velimúsne, nécne, in candidiſſimum Salem obdureſcere, poſtquam tanto impetu ejecti è pelago fuimus. Dum aqua Marina in Oceano fluctuat, uniones gignere, coralia efformare, ſuccina conglutinare, mergeréque navigia poteſt: at verò in foſſas ſemel derivata, niſi in Salem, agitationis omnis expertem, & pariendis margaritis ineptum, concreſcat; quid niſi palus erit, mephitim totâ latè viciniâ ſparſura, peſtémque afflatura? Nihil vetabat, quin paternis in ædibus Majorum noſtrorum hæreditate frueremur; avorúmque noſtrorum gloriam non æquaremus modò, ſed vinceremus: licebat, primos in Cœnis accubitus, nobiliſſimarum Cathedrarum laureas, Magiſtratus Foríque principatum, Præfecturas adminiſtrationéſque Provinciarum, immortalitatem nominis, quam tot aliĳ vel ſanguine bene

comparari existimârunt, consectari. Olim ista licebant. Sed enim intrà religiosos parietes omnis gloriæ, commoditatis, excellentiæ, vel levissimâ moderatissimáque cupidine, usque ad infamiam, dehonestamur. In Salinis positos alteruter exitus manet; aut enim fœtore accedentes exanimemus, aut corruptionem ab ijs, qui nobiscum versantur, arceamus necesse est. Aut Salem mundi, aut pestem nos esse oportet, quando, à Mundo secreti sumus. Si autem Sal videri volumus & esse, id doctrinæ soliditate, candore morum, efficacitate virtutis, & cujuscunque formæ figuræq; receptione monstrandum est. Nam seu Sali coronam, seu catenam imprimas, utriusque imaginem eâdem fide accipit, eâdem retinet. At dum Maris unda nataret, nullam, licèt ferro impressam, figuram servabat. Postquam induruit, & comminutus in pulverem est, quamcunque libuerit formam dare, acquiescit, datámque fideliter reddit. Hæc illa æquanimitas est, quam à nobis Christus postulavit, cùm Apostolos, & in ijs nos allo-

cu-

cutus dixit: *Vos estis Sal terræ.* Hanc imperavit, cùm nos non tam voluit mortificatos, quàm mortuos. Hâc destituti, non modò hominum mentes incorruptas non præstabimus, sed corrumpemus, & pravis exemplis in exitium trahemus. Non jam fas nobis est esse, quales nos vel natales vel fortuna finxerunt. Ac proinde, quod fabuloso Icaro Synesius Episcopus Cyrænensis occinuit, ingeminandum unicuique vestrûm existimo: cujus quidem adolescentis, fortunæ non minùs celebris, apud superstitiosam antiquitatem memoria est, quàm recondita disciplina. Cave, inquit gravissimus Antistes, infelicē terræ transfugam allocutus, nè in eo, quē cœpisti volatu, pedibus utâre: postquam aërem, quàm terram, maluisti percurrere. Nam si volare desieris, nec illud, quod máluisti, Elementum tenebis, nec, quod dedignatus es, unquam recuperabis. *Postquam Icarus pedum usum dedignatus est, repentè* AERE TERRAQUE EXCIDIT, QUORUM ALTERUM RESPE-

XERAT, ALTERUM NON EST ASSECUTUS.

96. Video Tyrones, qui me audiunt, præſtituti ſibi muneris ſublimitate partim exultare, partim imminentibus periculis, niſi ad Apoſtolicæ virtutis, in cujus ſtadio currunt, metam perveniant, magnopere commoveri. Audire mihi videor ſimiles nos compellantium voces: *Quid faciemus Viri fratres?* Quibus proculdubio reſponderet Petrus: Hoc agite, &, quando in Salinis eſtis, in Salem concreſcite, ut vobis juxtà & de vobis dici queat: *Vos eſtis Sal terræ*: In quem abit vel aqua, ſi ſolaribus radijs ſiccari ſe purgaríq; ſuſtineat. Verùm nunquam ea vel ſtiparetur, vel candeſceret, ſi cœleſti luci, nativum ſibi humorem exſugenti, repugnaret: multóque minùs naturam mutaret, ſi riparũ, quibus coërcetur, impatiens, & canalium anguſtias exoſa, priſtinam cum mari ſocietatem iniret, aut in apertos campos effuſa, diſpergi mallet atque vaneſcere. Faxint Superi, nè idem alicui in his Chriſti Salinis eveniat, quod in Balenæ ventre

Act.2.37.

ac-

accidit Jonæ. Talis planè è baratro Monstri egressus is fuit, qualis intravit: & quo loco lapides ac metalla liquabantur, Vati, nè pilus quidem, est immutatus. Simili habitu corporis, colore vultûs, robore membrorum, totus denique, quantus erat cùm absorptus esset, terræ redditus *Ionas*, inquit Tertullianus, *devoratus à Bellua Maris, in cujus alvo naufragia digerebantur, triduo pòst* INCOLUMIS EXSPUITUR. Id porrò, quod Divinæ Prudentiæ Clementiæque prodigium atque opus fuit, in nobis obstinatissimæ contumaciæ portentum, & detestabilis ignaviæ monstrum foret, si non quidem post tridui moram, sed post duorum annorum spatium, ex hoc Sacrario, nihil à nobis diversi, egrederemur. Neque verò spes ulla superest causandi, ad Metamorphosin ejusmodi efficiendam, non satis valuisse loci Naturam: cùm palàm sit, hinc prodiisse tot Orientis Apostolos, Occidentis Doctores, Ecclesiæ Martyres, supremos Ordinis Moderatores, tot Duces non nobis duntaxat, sed toti terrarum Orbi, ve-

De Resur. Car. To. 58. 300.

ne-

nerabiles. Perit omnis defensio, cùm in hac Salina, primo statim in eam ingressu, vestrûm tam multi, tam feliciter, sint mutati, ut fidem faciant fore, ut quantocyus in viam sint errantes reducturi. Accedit, quòd nunc quoque integerrimæ vitæ exemplis, gravitate sermonis, consiliorum magnitudine, cupiditatum pravarum excidio, desideriorum sanctitate omnes, à quibus spectantur audiuntúrque, & in Apostolicis facinoribus juvantur, ad virtutem accendant: ipsi quoque, ùt Magdalena quondam, Apostolorum Apostoli, & prodigiosus Sal salis terræ appellandi. Quam ob rem quisquis hîc non transformatur, negligentiam propriam incuset, séque ipsum peragat reum. Nam si virtutis ardorísque defectus è loci frigore proveniret, nemo hîc arderet, algerent omnes. Nunc verò cùm tam multi proficiant, ac pœne omnes immutentur, quisquis divinâ quadam flammâ non consumitur, is turpissimam frigoris pertinaciam mentis algori adscribat, nihil ultra vulgarem modum cupientis.

97. Huc facit, quod Plinius narrat, in Hiſpanienſi agro geminos fontes, totidémque ſtagna reperiri, tam conjuncta loco, ut vix alterum ab altero dignoſcatur: ſed naturâ tam diversâ, ut, cùm in illud quidquam injeceris, continuò mergatur, voracíque fundo hauriatur, nunquam poſthac dimittendum ejiciendúmque in littus: hoc contrà, nè gravia quidem onera ſinu recipiat, ſed aliquamdiu ſuſtentatum, quidquid illud eſt, in ripam revomat. *In Carrinenſi Hiſpaniæ agro duo* Lib 2. Nat.
fontes juxtà fluunt, ALTER OMNIA Hiſt.
RESPUENS, ALTER ABSORBENS. Tam avidos monitorum aliquos reperies, & imperiorum omnium reverentes, ut, quicquid moneantur, quod vel generi vitæ conveniat, vel ad incrementum virtutis facturum videatur, arripiant continuò, tantáque mentis aviditate amplexentur, ut moderatoribus ſuis neceſſitatem imponant, frenum adducendi, nè, ſi ſpatia iſti laxaverint, ultrà, quàm par ſit, illi procurranr; hinc non raro prætereunda ſilentio exiſtimant, cæteroqui neceſſaria, nè

plus

plus etiam, quàm fuerit imperatum, auditores exequantur, moderationis ac prudentiæ terminos prætergressi. Eadem causa est, quòd studiosos adeò Discipulos, eorum librorum lectione prohibeant, qui Crucis Disciplinam, hoc est, exquisitis sese supplicijs excruciandi rationes explicant, sibíque plùs quàm Pythagoræum silentium imponant, si quando ab alumnis tam alacribus promptísque rogantur, quantâ pœnarum siti par sit Christi sectatores inardescere. E contrario quantumcunque aliorum torporem stimulent, officij commoneant, necessitatémque inculcent immoriendi Cruci, clavorúmq; asperitatem constanter sufferendi, nihil promovent, &, nè spinarum quidem ijs patientiam, aut rudia quæpiam invitamenta mortis persvadent. *Alter omnia respuens, alter absorbens.* Est, qui omnia complectatur; est, qui nihil non excutiat. Alius principio statim candidissimum Salem refert; alius, nè post menses quidem & lustra, naturam exuit, & gravibus duntaxat sceleribus abstinuisse conten-

ten-

tentus, eandem planè licentiam ſenſuum, aut etiam majorem mollitiem, volubilitatémque animi retinet, quàm ſecum è ſeculi pelago, in Religioſi Ordinis Areas traductus, attulerat.

98. Neque hîc ego vel Tyrones, vel Veteranos audiam, ſi jactent, parùm ipſis ad eam Perfectionem deeſſe, quam hujus vitæ genus poſtulet. Parùm quippe aut nihil intereſt, ad plenam animorum noſtrorum transformationem propè propiùs acceſſiſſe, ſi non omnino perveneris. Quæro enim: cadente de cœlo grandinis imbre, an non perinde contundetur, qui, tecto proximus, ſublicio duntaxat ponte arcetur, ac, qui aperto in campo deprehenſus, procul adhuc ab urbe plurium intervallo ſtadiorum abeſt? *Nihilo ſecius enim extra viam ſub dio verſatur is, qui juxta oſtium foris ſtat excluſus, quàm qui eminus adhuc labore itineris conficitur.* In hanc ſententiam ſcripſit eruditus ille, ſed ſceleratiſſimus Ludio, Chriſtianæque Religionis deſertor, indignus proinde qui in Domo Chriſti nominetur.

Lucian. de Sectis. To. 68. 11.

99. At

At, inquies, si hæc ità se habent, nimis profectò difficilis hæc Servatoris imitatio, Calvariíque montis habitatio futura est. Estò sit sanè illa difficilis, sed eò est quoque palmarum fœcundior, digniórq; coronis. Id duntaxat cavendum, nè de semita te, obice ullo, qui fortè se offerret, seduci patiaris. Mugitus, magnitudine doloris expressus, alacritatis decus, præmiúmq; luctæ neutiquā iminuit. Num verò nō præstabimus, quod Philisthæis animantibus contigit, Dei arcā vehentibus Bethsamen? *Porrò Vaccæ* IBANT *in directum,*
1. Reg. 6. PERGENTES *&* MUGIENTES. Patiar te mugire, si modò curras: mutationis sensum non adimo; fiat tamen: feram recalcitrare carnem, dum Spiritus vincat. MUGIENTES, *sed* PERGENTES. In cujus Historiæ serie perseverantia boum in gradiendo, cursúsque constantia priùs describitur, ac subinde dolor mugitúsque memoratur. Haud equidem veto quenquam, sub Crucis jugo ingemiscere, sed ferre nihilominus cupio: non nego Salinarum areas angustas esse, sed mo-

moneo neminem, qui in ijs non duraverit, indurandum, & in Salem ſolidandum eſſe. PERGENTES *& mugientes.*

100. Verùm ego plus, quàm par erat, imbecillitati noſtræ indulſi; quippe cùm Paulus teſtetur, Hilarem datorem à Deo diligi, metus mihi aliquis oboritur, nè Deo ingrati ſint gemitus doloréſque, inter quos ipſi nos victimas mactamus. Aqua certè in Salem mutatur placido calore Solis exterſa citra ſtrepitum, ſtridorémve. Frumentum in terra emoritur ſinè gemitu. At ſingultus illi, illa membrorum jactatio, ſupremíque illi animã agentium, Deóque reſignantium anhelitus, circumſtantes exterrent, & perturbant morientem. Qui autem placidè Spiritum Cœlo transmittit, invidiam viventibus facit, & mortis deſidérium, vel in valentibus, accendit. Ipſi quoque Balaami venefici atque Idololatræ, ſpectaculo ejuſmodi commoti, exclamant: *Moriatur Anima mea morte Iuſtorum.* Num. 23.10. Optarem itaque Converſionem noſtram Morti ſimillimam eſſe, ſed morti ejuſmodi, quam Ste-

phanus inter ſaxorum imbres obijt, ſopitus magis quàm extinctus. OBDORMIVIT *in Domino.* Cuperem ſic unumquemque noſtrûm animo mori, ùt Paula, Hieronymi ſcriptis conſecrata, corporis vitam finivit. Animam ſimul agebat venerabilis Matrona, ſimul cantabat, & vicinæ mortis horrore in Epithalamium mutato, pſallebat pariter, paritérque moriebatur. *Illos verſiculos ſuſurrabat: Domine dilexi decorem domûs tuæ. Animá que erumpere geſtiens* IPSUM STRIDOREM, *quo mortalium vita finitur*, IN LAUDES DOMINI CONVERTEBAT. Prô quàm felix foret exceſſus noſter, ſi, dum in Apoſtolos fingimur, pro gemitu riſum daremus: ſi afflicti exultaremus, ſi contempti, calumnijs injuriíſque petiti, & perpetuo religioſæ Diſciplinæ jugo gravati, probra gloriam, tormenta triumphos appellaremus, mortem denique, pro Sanctitatis conſecutione ultrò ſuſceptam, immortalis vitæ principium arbitraremur. Tum enimverò Sal Terræ, hominúmque Servatores foremus, citra doloris pompam,

Act. 7. 60.

Ep. 27. ad Euſtoch. Virg. To 17. 154.

pam, citra inconditorum motuum oſtentationem, Imitatores Chriſti effecti, qui morte ſuâ Mundi ſalutē reparavit, vitámque in ipſo Mundi exordio defunctis reſtituit. *Vos eſtis Sal Terræ.* Illud ſubinde notate, Salem Eccleſiæ, ſi naturam non ſervet, non modò Apoſtolici nominis gloriâ excidere, ſed in infamiã, vel peſſimis inviſam, degeneri converſione prolabi. Infatuato proinde Sali Chriſtus præmia denegat, minatúrque ſupplicia. Nam ſi ad arcendam corruptionem, immortalitatémque conferendam vigore deſtituatur, illorum quoque pedibus conculcabitur, quorum non temperavit affectus. *Ad nihilum valet ultrà*, NISI UT MITTATUR FORAS, *& conculcetur ab hominibus.* Quam ob rem ſi tanta degeneres animos opprobria manent, ſi tanta ijs, qui ſe Terræ Salem efformant, præmia ſervantur, reliquum eſt, ut ſeipſum immutet, qui inchoat; qui inchoavit, nè mutetur, provideat: omnes autem curent, ut de ſe dici poſſit: *Vos eſtis Sal terræ.*

EXHORTATIO XLV.

In Octava Epiphaniæ.

Procidentes adoraverunt eũ, & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, Aurum, Thus & Myrrham. *Matth. 2.*

SAnctorum Regum liberalis in Chriſtum animus, & Herodis contemptor, vim ſuam inde traxit, quòd Divinum Puellum priùs, quàm muneribus colerent, adorârint. Nunquã Cœnobia vel deſererentur, vel faſtidio forent, ſi ad ea cognitione magis traheremur, quàm affectu. Ideo ſummum Sacerdotium Petro, non Joanni, collatum eſt, eò quòd hic amore, ille intelligentiâ, præſtiterit. Eloquentior cæteris avibus Pica, quòd non ediſcat mo-

modò, quas percipit voces, sed apud se digerendo suas quodammodo faciat. Mutat figuras speculum, quia non producit, sed accipit. Non sic arbores: alimentum enim in poma convertunt. Quàm facilè Moysem Hebræi sunt secuti, tam nullo negotio deseruêre. At Samaritanis constans in Messiam cultus duravit, quando ipsi ejus Divinitatem sibi approbârunt. Is Tyro virtutis tenorem servabit, qui non solo Sodalium exemplo, nec loci duntaxat sanctitate motus, sed attentâ omnium actionum suarũ consideratione aversatur delicias, & ærumnas consectatur.

101\. QUis non admiretur trium istorũ Regũ munificentiã, qui exoneratis, in recèns nati Servatoris cunas, urnis suis, mortalitati præsidiũ; cultúmq; divinitati parârunt, hinc Indicis metallis, inde

nobilissimis Arabum aromatibus ingestis? Ego verò tantarum opum profusionem Bethlemi seu stabulo, seu tugurio impensam, ùt non contemno, quî enim id ausim? ità longè magis ea existimo, quæ stabulo digressi, & ab Infantis præsentia remoti patrârunt. Tum enimverò sanctissimorum Regum fortitudo, constantiáque invicta prorsus emicuit, cùm periclitantis Messiæ securitati consulturi, Herodem, à quo Hierosolymis expectabantur, regiásque ejus ædes neglexerunt; cùm vitam fortunásque suas Tyranni, delusum se frementis, ferociæ objecerunt; cùm Synagogæ furijs Angeli monita præhabuerunt; cùm denique, in sua quisque regna reversi, per subjectas sibi Provincias, egentissimi Infantuli Divinitatem vulgârunt, & pro ejus rei fide vel vitam posuerunt, vel, si nihil ampliùs, exegerunt constantissimè, Dei-Hominis primi Evangelistæ. Hæc illa facinora sunt, ob quæ tres Orientis Reges semper mihi memorabuntur; semper colentur. Res profectò difficillimas eodem tempore susceperunt Heroës fortissi-

mi

mi, quales erant, Theſauros profundere, Angelos audire, Tyrannos negligere, pericula contemnere, impiorum conjurationibus, & vicinorum inſidijs regna objicere: eáque omnia magnis animis, religiosâ pietate, Apoſtolicâ fortitudine ſunt exequuti, quia, priuſquam Chriſti præſepe odorum, auríque muneribus, obſervantiæ ſuæ tributo, venerarentur, Divini Numinis dignitatem, cui avitarum opum decimas, nullo privati incom̃odi reſpectu, conſecrabant, infinitam dignitatem altè in animum demiſerant. *Procidentes adoraverunt eum.* Hinc pronum ijs fuit, gratiam iráſque Herodis, obſequia odiáque Judæorum, longinquorum itinerum incommoda, ſubditorum factiones ſeceſſionéſque, ſpretos ſe, & ob inauditam Hominis alicujus divinitatem relictos querentium, poſtponere illius Pueri cultui, quem Deũ credebant, & Dominum agnoverant. Et hæc quidem prodigia pietatis in nobis quoque inſtaurarentur, ſi nos non minùs atque illi, antequam Nato Servatori noſtra, nóſque ipſos dedicaremus, omne in

eo ſtudium collocaremus, ut penitus intelligeremus, quàm ille dignus obſequio, quámque beatum ſit, ad ejus pedes deponere tum illecebras ſenſuum, tum patrimonij amplitudinem, tum denique amores omnes, cupiditatéſque univerſas. Et quis non videt Regum donis noſtra fuiſſe potiora? non enim paucula thuris grana, neque myrrhæ aurique particulam aliquã in Servatoris Præſepe conjecimus, ſed paternas opes, quæ nos manebant, univerſas, Civilis vitæ commoda, chariſſimorum parentum blanditias, honorum, magiſtratuúmque ſpes omnes, libertatem, voluptates, & quicquid promittebat Mundus, injecimus. At non perinde certum nobis eſt, fore, ut præſentem animi alacritatem novis ſubinde ardoribus exaggeremus, id quod illis, de quibus ſermo eſt, Magis evenit. Fieri enim poteſt, ut noſtrum aliquis veræ illius, vivæque cognitionis fundamento deſtitutus in ijs, quæ agit, etſi Orientis Principes vincat, ſi rem ac munus per ſe ſpectes, multum tamen ijs concedat modo formáque donandi,

quip-

quippe qui careant penitiori cognitione, ſtabilíque amore tum in Chriſtum, cui famulantur, tum in Societatem, quæ Servatoris quaſi vicaria, eorum obſequia muneráque admittit. Ego proinde ut Donationibus noſtris, utcunque liberalibus atq; magnificis, pretium ac nobilitatem addam, tum meipſum, tum vos omnes ad eorum, quæ quotidie in Domo Dei perficimus, intimam cognitionem, ſingularémque venerationem excitare ſtudebo: conſecuturus videlicet, ut quemadmodũ dici de nobis poteſt: *Apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum thus & Myrrham*; ſic muneri pretium & animam addidiſſe videamur. Et id quidem effectum dabimus, ſi laudes promerebimur, quibus celebrati ſunt Magi. PROCIDENTES ADORAVERUNT EUM. Illi profectò, Sanctiſſimorum Regum exemplo, & magna gerunt, geréntque majora, qui, priuſquam urnas ac munera reſignent, hoc eſt, antequam Deo placendi ſtudio ſibi vim inferant, aut ſeipſos illi conſecrent, religioſarum obſervantiâ Legum, Crucíſ-

que in humeros receptæ patientiâ, id agent, ut in rei, quam suscipiunt, excellentiam, & Domini, cui se addicunt, majestatem animum intendant, penitúsque defigant: utique cùm Perfectionem Apostolicã æstimatio potiùs ac cognitio, quàm difficultas Actionis, absolvat. *Adoraverunt eum.* En tibi fontem auriferorum fluminum, Servatoris cunas alluentium. *Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, Aurum, thus, & myrrham.* En opes, quas sibi detractas, involuti fascijs pueruli egestati, præsidium esse voluerunt. Et quoniam hæc duo sic inter se colligantur, ut si alterum præcesserit, alterum subsequatur, hinc in hac vespertina allocutione mutuò nos excitabimus, ut quidquid agimus, summâ cognitionis amorísque perfectione peragamus.

102. Ut intelligas, quanti referat, ad Virtutis stadium ritè decurrendum, nôsse, quid agas, & cujus gratiâ id agas, satìs est certamen honoris ac dignitatis, à Christo Competitoribus Principatûs oblatum, intueri. Decreverat is Successorē

renunciare aliquem, qui ab exceſſu ſuo Eccleſiæ ſumma cum poteſtate præeſſet, Orbíſq; Chriſtiani imperium, Pontificis maximi nomine, proximo poſt Deum immortalem loco, adminiſtraret. Quam verò ille Virtutem vobis exegiſſe videtur, cui Dignitatem Divinæ ſupparem conferret? num Paupertatem, quam ille præcipuam naſcenti, ac ſubinde inter promiſſæ felicitatis principem obtinere locum voluit? Non ſanè. An, quando ipſe ignobilis obſcurúſque tricenos vitæ annos, tréſque poſtremos neglectus vulgò, ſpretus, irriſus exegit, vitámque inhoneſtiſſimo mortis genere, geminos inter latrones, abſolvit, illi Claves cœli habendas dedit, qui quàm modeſtiſſimè de ſe ſentiret? Nè id quidē. Quid ergo? potuítne Virginis filius Virginúmque Dux, non illum gregi ſuo præficere, qui cæteris integritate vitæ munditiæque præſtabat? Potuit. At enim ſi hæc præclariſſimarum Virtutum decora throno arcentur, ejus utique fortitudini conſtantiæque Regnum deferetur, quem acerbioribus tormentis excarnificandum,

aut

aut diriorem ſibi carnificem exſtiturum noverat, eo vitæ genere delecto, quod omnium cruciabiliſſimum ad Magiſtri pœnas proximè accedat, íſque adeò Chriſti Cruci affixi Vicarius erit, qui ſeipſum duriori Cruci ſuffixerit. Hìc quoque Divinatio nos fefellit. Non enim Tiara Pontificia, vel candentium laminarum, vel ſpineæ Coronæ, præmium eſt. Quis crederet? Deus ille, qui eam ob cauſam Cœlo Terram præhabuit, ut mortales patrimonia, ſéque ipſos abjicere doceret, ut catenas injiceret, Cruces imponeret, ut Sectatores ſuos ad perpetuam quandam tum corporis, tum animi lanienam informaret, eum imperij hæredem ſcribit, Oraculorum ſuorum interpretem, Legis ſuæ cuſtodem, Arbitrum Judicémque, exercituum ſuorum Imperatorē Principémque renunciat, qui Divinitatis ſuæ arcana introſpexiſſet accuratiùs, cuíque pleniorem de ijs cognitionem Pater cœleſtis communicâſſet. Interrogatis igitur Apoſtolis quid de ipſo ſentirent? cùm Petrus filium Dei faſſus eſſet, cæteris pupularis

fa-

famæ ambiguitate in diverſa tendentibus, illum Eccleſiæ Principem dixit, &, Sceptri regalis in vicem, geminas tum gloriæ, tum ſupplicij Claves in manus tradidit. *Tu es Christus filius Dei vivi* magnis vocibus teſtanti Petro, continuò in eadem Ceſareæ planitie repoſitum ab illo fuit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum.* Matth. 16. 18

Perinde, ac ſi diceret: Equidem opto à familiaribus meis, regníque optimatibus contemni divitias, honores negligi, ferri ſupplicia, cupio eoſdem voluptatū omnium hoſtes, blanditijs juxtà miníſque inſuperabiles, Mortíque invictos eſſe. Sed hæc omnia ſumma cum laude conſequetur, cui Dignitas mea planè perſpecta fuerit. Petrus proinde, qui penitiùs in perfectiones meas aciem intendit, ſemper quoque mei erit amantiſſimus. Hinc idem aptiſſimus erit, ad cujus pedes patrimonia ſua deponant Neophyti, certi nihil ab eo in proprios uſus avertendum. Idem Phariſæis concidendum tergum offerat, citiúſque Tortores verberando, quàm ipſe no-

nomen meum prædicando laſſabitur. Conſequetur in hortum me, ſolúsque adverſùs Pontificum agmen defendet. E navi deſiliet, pérque calcatas undas viæ compendium quæret, quò promptiùs ad pedes meos accidat: veneficos ex aëre detrahet, nihil populi terrarum Domini furias, aut Romæ faſces moratus: Evangelium diſſeminabit, vel Neronis ingratijs, nec dubitabit, capite deorſum verſo, Cruci ſuffigi, mortémque meâ causâ oppetere. Tantum in animos hominum poteſt Divinæ Majeſtatis cognitio, ut, ſi modò ſe illi placituros arbitrentur, flagris conſciſſi triumphent, crucibúſque ſuffixi divinas inter laudes exſpirent.

103. Hinc eſt, quòd Dæmon noſtro in Virtutem amore non magnopere moveatur, ſi modò quid partium noſtrarum ſit, quid Vocationis noſtræ ſublimitas poſtulet, meminiſſe non patiatur. Novit ille, ſimul omni virtutum ornatu nos ſpoliandos, cùm hebetatam mentis aciem à rerum divinarum cognitione, cœleſtiúmq; præmiorum conſideratione abſtra-

xerit. Quamobrem Chriſtus, neglectis quodammodo Diſcipulorum virtutibus, ſolam in ijs perfectionum ſuarū cognitionem præcipuè commendavit, non ignarus, ſi ea mentem illuſtret, conſiliorum ſuorum executionem in expedito futurã. Pariter Cacodæmon præſtantiſſimam hominis partem, Intelligentiam videlicet, aggreditur, certus, quamprimùm hanc arcem occupaverit, arma continuò à nobis deponenda, cœptóſq; labores abrumpendos eſſe. Idipſum Servator Alumnis ſuis prænunciavit, cùm omnes Sathanæ inſidias in mentis oppugnatione conſumi docuit, quippe qui nôrit, cùm Divinæ lucis radios interceperit, reliquorum ſe, nullo repugnante, potiturum. *Cùm fortis armatus cuſtodit* ATRIUM *ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet, & ſpolia ejus diſtribuet.* Quam Parabolam Gregorius Nazianzenus breviter juxtà graviterque exponens, Fortem Armatum Humanam Mentem, æternis munitam rationibus, interpretatur. Quarum ful-

Luc. 11. 22.

fulgorem cùm Tartareus Hoſtis offusâ caligine infregerit, nullo negotio illam ſui juris efficit, mittítque in compedes. Subinde ceu vacuam defenſoribus arcem ingreſſus, improvidis captivis omnem Interioris Virtutis ornatum diripit, cinerémq; cilicia, flagra, ferreas catenas, ſetoſas zonas, ipſam denique ſanctiſſimi cujuſq; Anachoretæ ſpeluncam, Haſtæ ſubijcit, acerbiſſimæque voci Præconis. *Regnum* Orat. 14. *priùs dividi oportet*, inquit Gregorius, *atq;* To. 115. 121. *ità* FORTEM, *ſcilicet* RATIONEM, *quæ in nobis eſt, tentari* AC LIGARI, AC TUM VASA DIRIPI. Quæ ſi vera ſunt, næ illi miſeri ſunt atque infelices, qui in ſolam virtutis ſpeciem, & exterioris demiſſionis aſperitatíſque lucrū intenti, ſibi perſvadent, cùm attrito corpore, oculis modeſtè dejectis, ore taciturno, manibus vel in cœlum vel ad laborē protenſis, ex hac domo digreſſi fuerint, ſe virtutis conſtantiâ perfectionéque prima Vitæ religioſæ Exemplaria æquaturos. Nempe non vident miſeri, & internis luminibus defecti, futurum, ut quamprimum

Phi-

Philoſophorum ſcripta in manus ſumpſerint, Evangelij Codicem abjiciant, & vanitati Crucem, clavóſque Servatoris Scriptorum ſtylo conſecrent. Quid intereſt, in Virtutum religioſarum exercitatione profeciſſe, niſi eas non tam dulcedo quædam ſensúſque pietatis, quam ſcilicet ſeculi fuga, domiciliíque ſanctitas ſolet ingerere, nobis aptaverit, quàm cognitio Religionis impreſſerit.

104. Quæ damna ut prohiberet Ambroſius, obteſtatus Clericos ſuos eſt, ut pietatis quidem ſpeciem exteriorem, quâ ſcilicet Eccleſiaſticæ vitæ jugum plurimùm ſublevetur, ſtudiosè percolerent, verùm ſimul ſatagerent, Apoſtolicis monitis animum confirmare, ut ſacrorum rituum reverentia, immobili ſaxo divinarũ præceptionum inædificata, nullis neque Inferorum tentamentis, neque aſſiduis fomitis incentivis, neque quotidianis pravorum exemplorum fluctibus, neque pluvijs peſſimorum conſiliorum, minùs quidem violentis, ſed non minùs pernicioſis, arietata nutet, atque diſſolvatur. Repu-

tate primùm cum animis veſtris, an vitæ genus, quod meditamini, è re veſtra futurum ſit? neque præjudicio voluntatis cauſæ cognitionem antevertite. *Boni Speculatoris eſt*, ITA PRÆTENDERE ANIMO, *ut appetitus neque præcurrat* RATIONEM, *neque deſerat*. Monet, niſi fallor, Ambroſius, in tuto eſſe Virtutis perfectionem, & omnis perturbationis periculum procul abeſſe, ſi Rationem ſequamur Ducem, eâque Intelligentiâ tum interiorum, tum exteriorum ſenſuum ſphæra circumagatur. Quemadmodum enim globorum cœleſtium motus æquabiles ſemper atque ijdem ſunt, neque unquam præſcriptos à natura limites excedunt, moventis videlicet Angeli ductu atque auſpicijs: ſic ubi alacritatem noſtram non ſuavitas Virtutis, ſed Cognitio impulerit, conſtantem ſemper pietatis curſum fore, nullo errore interpellandum. Id quidem adeò verum eſt, ut fateri non dubitem, Tyronum profectum, ab ipſorum potiùs animadverſionibus, quàm à præceptionibus noſtris pendere. Si enim fal-

Lib. 1. Offic. c. 47.
To. 54. 65.

ſus

ſus opinione ſum, quid eſt, quòd ſub eadem, quam tradimus, Diſciplina vivendi, alij frigent, ardent alij? An non palàm eſt, eorum, qui ad hoc vitæ genus admiſſi fuerunt, quoſdã primis ſtatim menſibus in Apoſtolos, & religioſi moris Prototypa verti; alios contrà, ſub ipſum biennij finem, eoſdem propemodum eſſe, qui paternis ex ædibus egreſſi acceſſerant? Quòd ſi ergo præceptorum, locíque ſanctitas efficeret, planè ùt ijſdem omnes parietibus concludimur, eoſdémque ſermones excipimus, ſic pari paſſu ad integritatem morum, conſiliorúmque præſtantiã graderemur. Quoniam verò paritatem ejuſmodi in ſacris Cœnobijs ſpectare non licet, neceſſariò proinde incrementa virtutum, non ab Inſtituti rationibus, quæ prorſus eædem ſunt omnibus, ſed ex earũ conſideratione, quam ſinguli diverſam habent, deſumenda erit. Haud ſatìs exponam quid ſentiam, niſì in Horti noſtri arbores, hinc Pſittacos Indicos, inde Picas Europæas producam. Atque illos quidem, ùt peregrinos, & varietate pluma-

rum linguæ barbariem redimentes, laudant omnes, mirantúrque: cùm tamen, teste Plinio, eloquentiores multò sint Picæ, utpote quæ monstratas loquendi formas improbo labore sibi mandent, propriásque efficiant. Hinc solitariæ quoq; nullóque audiente, sententias easdem recitant, &, ceu ipsæ se ad eloquentiam erudirent, ultrò, quæ didicêre, declamant, erroréſque castigant pariter, plausúque, bene prolata, prosequuntur. Et verò delectatione ejusmodi adeò proficiunt, ut earum voces ab humanis interdũ non dignoscas. *Minor nobilitas*, QUIA NON EX LONGINQUO VENIT, SED EXPRESSIOR LOQUACITAS *certo generi Picarum est.* ADAMANT *verba, quæ loquuntur*: NEC DISCUNT TANTUM, SED DILIGUNT: *meditantèsque intra semet, curâ atque cogitatione intentionem non occultant.* Fac enim, has illis sententias præiri: *Mors instat: Prætereunt omnia: Imperat Deus*: continuò in nidos suos, notósque receptus delatæ, malunt audita repetere, quàm

Lib.10.c.42. To. 57.75.

quàm paſci, aut nativo ſtridore garrire: diutinóque uſu ſic ea vocabula tenent, ut inveniſſe potiùs videantur, quàm didiciſſe. Nè, per Deum immortalem, à brutis animantibus, Religionis Alumni, ſe vinci patiantur! Ipſi quoque Virtutis præcepta magìs ament, quàm audiant, & in exempla Probitatis animum magìs, quàm oculos, intendant. *Non diſcant tantùm, ſed diligant.* Hinc non antè ad religioſæ ſervitutis abjecta miniſteria ſe demittant, non priùs uſitatis relaxationibus abſtineant; non inediæ, non fundendi ſanguinis, non obſervantiæ erga leges, non odij in propinquos, non averſionis ab honoribus, non objurgationum, ob admiſſos errores, grave jugum ſubeant obſcuri, neglecti, alienæ voluntati obnoxij, impotes ſuæ, quàm ſibi ſæpe ſæpius occinuerint, & pro ſe quiſque ſecum ità ratiocinetur: Ego verò emori mihi, dum vivam, ſtudebo, quando eâ demum vitâ ſub Chriſto vivitur, quæ momentis omnibus ſentiat ſe mori. Poſtremo jacere loco, vel in pulvere, volupe mihi erit, is enim imperat, qui

ſervit. Animi juxtà cupiditates corporíſq; ſenſus Cruci litabo, quoniam, niſì qui ſeminat, non metit. Hoc enimvero, hoc eſt Diſciplinæ Religioſæ non auſcultare, ſed nubere. *Non diſcunt tantùm, ſed diligunt.* Idem quippe Profeſſoribus Evangelij, quod cœli volucribus accidit: ſicut enim eæ maximè in exſculpendis vocibus proficiunt, quæ non eas proferunt ſolùm, verùm etiã deoſculantur: *Adamant verba, quæ loquuntur*: Sic illi maximos in virtute progreſſus faciunt, qui Apoſtolicæ vitæ præcepta percepiſſe non contenti, ſecum ipſis expendunt, ſanctitatíſque præſtantiam trutinantes, huc animos flectunt, non tam Auditores non inviti, quàm rei longè pretioſiſſimæ Æſtimatores ac Trapezitæ. *Non diſcunt tantùm, ſed diligunt.* Illi, mihi crede, illi demum Domûs hujus veri Alumni futuri ſunt, qui exempla præceptáque perfectionis omnia, quæ vel Sodalium moribus expreſſa vident, vel Magiſtrorum ore doceri audiunt, ad animum referunt, vel, ut dicam meliùs, altâ mente reponunt. Imò ut, quod ſtre-

nuis Crucis Sectatoribus accidit, apertiùs edisseram, omnia ij suas in partes ratione distribuunt, & voluntate complectuntur, nec jam ea velut suppositum sibi fœtum, sed ùt ex se natam prolem, agnoscunt. Quemadmodum enim ex abjectissimarum avicularum faucibus humanæ voces prodeunt, sonum ijs modulúmque suppeditante amore, quo formantur: sic ex unoquoq; nostrûm prodibunt tum Apostolicæ sententiæ, tum actiones planè divinæ, si nos ipsi docuerimus, quanti referat divinis in Tabernaculis Angelos potiùs, quàm Homines esse, sibíque é religiosa demissione scalam conficere, ut ad summam, quæ quidem in hoc exilio degentibus obtingere possit, cum Deo conjunctionem enitantur. At si sola monitorum, Legum, exemplorúmque vi adacti, religiosæ disciplinæ amore inardescamus, profectò cùm hinc discesserimus, aut Præsidum vigilantia, legúmq; vigor aliquantulùm remiserit, simul omnis Virtutis ardor exstinguetur.

 150. Cu-

105. Cujus longè utilissimæ Philosophiæ Scholam nobis Deus in Cœlo aperuit: in quo Planetam Terræ propiorem jam abundare luce, aliàs egere, interdũ verò neque affluere copiâ, nec egestate premi, videmus. Hujus porrò mutationis monstrum è mendicitate sideris provenit. Cùm enim aut nihil, aut quàm minimum lucis ex se trahat, à Sole scilicet mutuatur, ac proinde, ùt situs utriusque tulerit, vel splendet, vel caligat. *Splendet Luna sinè fervore*, inquit Bernardus, MODO PLENA, *modò exigua*, MODO NULLA. Ne verò hanc Sideris inconstantiam, variúmque lumen rideatis, moneo: Cœlum enim unam duntaxat Lunam habet, menstruis incrementis defectionibúsque notabilem; at enim Cœnobia, haud pauciores Lunas, aspectu viribúsque diversissimas, ostentant, quàm sint ij, qui non proprio veróq; Religiosæ Disciplinæ amore relucent. Eatenus isti fulgent, dum è sanctitate loci, præclarísque Sodalium exemplis aliquid luminis trahunt. *Stultus* UT LVNA MUTATUR. At fortè pau-

Ser. in Nat. S. Ioan. To. 9. 227.

Eccl. 37.

ci ſunt, quorum vita nunquam ſibi ſimilis eſt, qui modò in deſertiſſimis Indiæ arenis vitam agitare, populóſque feros ac nudos erudire concupiſcunt: ac mox omnia per Italiam domicilia muniáq; faſtidiunt, ſi quando ſpes fefellit, in omnium exoptatiſſimo plauſum vulgi, Procerúmque admirationem captandi. Idem iterum excruciandi ſeſe deſiderio ſuccenduntur, ſolitudinem ac ſilentium amant, divina volumina diu noctúque verſant, & niſi quotidie voluntario martyrio, ſuſceptíſque ſponte ſupplicijs, emori ſibi videantur, vitam agunt omni morte acerbiorẽ. Subinde tanto cujuſcunque incommodi horrore capiuntur, ut niſi roſis incumbant, carbonibus ſe peruſtos putent: ac niſi divinarum deliciarum ambroſiâ, honorúmque melle lactéque fluentibus rivis inundentur, in Maurothalaſſa, aut mortuo Palæſtinorum Mari ſe naufragari vociferentur. *Modò plena, modò exigua,* MODO NULLA. Quæ omnia inde naſcuntur, quòd fervore non ardentes ſuo, pro varietate ſeu exemplorum, quæ intuentur, ſeu

vigilantiæ Præsidum, à quibus infrenantur, ipsi quoque usitatam vitæ asperitatem vel intendant, vel remittant, inopes mortificationis, semper emendicatæ, nunquam possessæ.

106. Hoc genus Tragœdiæ cùm in Sacris Cœnobijs nimis quàm sæpe, cum maximo quidem omnium bonorũ luctu, spectetur, facit, ut inconsultum illud consilium improbem, quod novis Christi militibus passim obtruditur. Eos plerumq; hortantur tum Magistri, tum alij, quorũ curæ commendati fuêre, ut Veteranorũ vitam, strenuorúmque Sodalium mores observent, ijs proculdubio exemplis ad religiosissimum vivendi genus informandi. Ego verò recentibus hisce Servatoris Discipulis auctor sum, ut animadversionem ejusmodi posthabere velint, edicóque: eâ contentos, religiosæ Pietatis phænomena, nudásque imagines futuros. Nempe ideo precandi, temet afflictandi, abijciendíq; studium concipies, ideo charitatem coles, salutis alienæ curam geres, cœli amore, Mundi horrore capiêre, quia id antiquissi-

ſimisDomûs incolis,aut ſtrenuiſſimis quibuſque Tyronibus in more poſitum vides? Dic autem, amabo, quamdiu is fulgor, violentáque adeò Virtutis pompa tenebit? Quàm vereor, nè idem illis accidat, quod ſpeculo. Huic enim ſi Melchiſedecum oppoſueris, continuò oculis in cœlum erectis, manu ſacrum Panem Calicémque gerentem,promptis ad hymnos labijs,Cydari, totóque corporis habitu venerabilem, Regem denique Pontificémque ſanctiſſimum tibi repræſentabit. Hìc vos crystallo gratulabimini tam graphicè Virum maximum ſacratiſſimúmque exprimenti. Parcite tantiſper laudibus, moneo, admirationémque ſuſpendite: mox enim plauſus in maledicta, laudes in opprobria vertetis. Digreſſo namque Sacerdoti Maximo Balaamus ſuccedat, habitúque venefici, laudatis modò ſpecularibus ſeſe obijciat. Aliam continuò effigiem ſubijſſe mirabimini, & qui nuper Principis ſanctiſſimi ſacrificia colebatis in ſpeculo,nunc Harioli abominanda ſortilegia horrebitis. Eodem quippe loco, ubi antè nobile illud ſimu-

ſimulachrum ſteterat, Monticolam Moabitam, incultis crinibus, trucibus oculis, cruentâ veſte, crinali & in coronam flexo ſerpente, armatum ſulphure, murmure ſibiliſque terribilem, atque uno aſpectu omnia Inferorum monſtra referentem, videbiris. Agite jam, &, ſi poteſtis, ſpeculum laudate, quod paulò antè religioſiſſimi toto Oriente Principis imagine tantopere vobis arridebat. Quòd ſi autem tam funeſtæ mutationis cauſam requiratis, Senecam licebit audire, inde ſpecularibus tam monſtroſas Metamorphoſes accidere, quòd nihil opis operæq; conferant ad animandos figurarum colores. Nec enim ſimulachrum, quod oſtentant, exſculpunt, ſed, receptâ duntaxat ejus ſpecie, ùt nullo negotio ejus imaginem reddunt, ſic eâdem facilitate deperdunt. *Nihil autem tam citò redditur, quàm* A SPECULO IMAGO. *Non enim* FACIT *quicquam,* SED OSTENDIT. ÆQUE CITO OMNIS IMAGO IN ILLO ABOLETUR, QUAM COMPONITUR. Quid? an ideo Virtutem coles, quia iti-
dem

Lib. 1. Quæſt. Nat. To. 29. 397.

itidem colunt contubernales? An cùm alios nactus fueris, nec moribus probatos, nec linguæ imperantes, non ipſe quoque in agendo remiſſus, in loquendo improvidus exiſtes? Nempe ùt modò ex alieno ardore ſcintillam aliquam Ignis divini concipis, ſic, ſi quando in Sodales ab Inſtituti noſtri rationibus averſos incideris, Leges juxtà præſidiáque virtutum abijcies. An ergo, inquis, boni exempli fragrantiam à Chriſti ſacrario arcebimus? Neutiquam ſanè; non enim pietatis luce coruſcantes, religiosámque familiam illuſtrantes reprehendo: ſed ijs tamen funeſtas clades denuncio, qui eatenus ſolùm Crucem diligunt, quòd eos, quibuſcum vivunt, Chriſti confixos Cruci aſpiciunt. Abominor, non imitamenta Sacerdotalium Melchiſedechi ornamentorum, ſed fallacem ementientis Cryſtalli ſimulationem deteſtor. Cuperem, in religioſis Cœtibus Arbores potiùs, quàm ſpecularia ſpectari: atque illas malo, quando David, primo carminum ſuorum, non Vitreis, ſed arboribus viros probos compoſuit. Videte, quâ

quâ ratione in Viridario noſtro Punica Malus ſuccreſcat. Radices ſuas terræ communicat, ab eáque, ut ſic dicam, lac in alimentum trahit: cœli rorem, fontiúmque humorem admittit: ſtercorari non dedignatur: Solíſque radijs non minùs, quàm Cœli Zephyrorúmque illapſibus ſinum pandit. Neque ideo tamen (tanta ineſt trunco ſagacitas) vel terræ ruditatẽ, aquarum mollitiem, fimi ſordes, ventorum inconſtantiam, aut Planetarum formam, vel in ſe retinet, vel refert in pomis. Ex hac elementorum rerúmque, quibus cingitur, congerie, mirandum ipſa corpus educit, propriúmque partum efformat, ab omnibus ijs, quorum operâ in fructuum ſuorum productione uſa eſt, planè diverſum. Idem per omnia præſtandum eſt illi, quem, ex Ægypti paludibus, in Terræ ſanctæ ſeminaria Numen depanxit. Recipiat ille cujuſcunque virtutis influxum, egregióſque proficientium mores obſervet quidem, ſed in propriam naturam ſubſtantiámque convertat, Arbórque malit eſſe, quàm ſpeculum; nec vanâ ſpecie fucum

cum intuentibus facturus, sed fructus producturus in Salutem populorum. Quô fiat, ut, sicut arbores, absente quoque Sole, cessantibus pluvijs, ponentibus Etesijs, vivunt nihilominus, florent, fructúsq; maturant; sic nos nostro viventes succo, eâ ratione majorum monitis, & æqualium exemplis utamur, ut, procul ab utrisque positi, Religiosæ Disciplinæ amorem, quẽ inter illos concepimus, retineamus. Id verò consequemur, si visa in alijs bona nobis asseramus, propriáque reddamus: certi, nullam Perseverantiæ fiduciam fore, nisi cæptam virtutem ipsi urserimus, ejúsq; auctores nobis fuerimus ac Magistri.

107. Cujus rei luctuosum profectò experimentum cepêre Israëlitæ, quorum quàm gloriosus ex Ægypto discessus, tam turpis in Solitudine commoratio fuit. Vix enim relictum à tergo Nilum, seque cucumerum ceparúmque esu destitutos advertebant, cùm recuperatam libertatem, latam Legem, pluvium Manna, prodigia, quibus omnis eorum peregrinatio inclaruerat, Victorias, quas reportaverant,

Di-

Divinitatem pro Tabernaculis ſuis excubantem, atque aliàs, obtentâ nube, Solis ardores infringentem, aliàs nocturnas tenebras igneis columnis illuſtrantem, odiſſe cæperunt. Neque hìc ſtetit perfidæ gentis vecordia, ſed poſthabito veri Numinis cultu, quod omnes eorum neceſſitates, tam vigili curâ, præſentíque ope ſublevabat, mutum brutúmque vitulum, pronis in terram corporibus, adorârunt. Cujus quidem perfidiæ, ſacrilegiíque non aliam cauſam reperio, quàm quòd fæx illa populi, ſolo Moyſis hortatu Ægypto exceſſerit: & cùm, quæ ille narrabat, admiratione venerationéque proſequerentur, nihil ultrà quæſiêrint, ſatíſne idoneæ forent rationes, ob quas id iter ſuſciperent, promptéque adeò, poſthabitis omnibus, Hominem unum ſequerentur. AUDIERUNTQUE, *quòd viſitâſſet Dominus filios Iſrael*, ET PRONI ADORAVERUNT. Enimverò qui vitæ mutationi tam inſigni, quippe quæ Memphim, omnium rerum copiâ affluentem, cum vaſtæ ſolitudinis ſterilitate permutet, tam

Exod. 4. 31.

fa-

facilè dat manus: is haud ſegniùs tradita Sacra deſerit, interruptos labores, priſtinámque vivendi conſvetudinem retentat. *Audierúntque & proni adoraverunt.* Ain', tantillo impendio tanta eos permutâſſe? Næ illi quantocyus concupiſcent relicta! Debuerant videlicet exactè calculum ponere, eſsétne nativi ſoli amiſſio, præceptorum, quibus ſe dedicare parabant, ſanctitate redimenda. Quòd ſi enim planè animum induxiſſent ut crederent, multò ſatiùs eſſe ſervire DEO, vel ſterilibus in arenis, quàm Pharaoni opulentis in Urbibus famulari, nunquam profectò mentem eò, unde corpus abſtulerant, retuliſſent.

108. Prô quàm diſpar ab ingratis Hebræis Gregorius Magnus! quàm alio in amore ac pretio anguſtam illam, ſibíque longè chariſſimam S. Andreæ ſolitudinem habuit. Eductus enim è placidiſſimo portu beati ejus Cœnobij, moderandæque Eccleſiæ impoſitus, in tanto ſubjecti Cleri erga ſe cultu ac reverentia, Regum, regnorúmque obſequijs, Prima-

tibus, Patriarchis, Orbe demum universo ab ejus ore pendentibus, oraculáque poscentibus, insolabili luctu, quietis, cellæ, pristinæque asperitatis, deliciarum suarum jacturam deplorabat. Sublimitatem throni, renovatum Jonæ naufragium existimabat: querebatur, quòd vitam agere sub Professionis Monasticæ jugo prohiberetur, quod omni, sacro licèt sanctissimóque imperio, dulcius jucundiúsque reputabat. Inde verò tam nobiles cogitationes nascebantur, quòd de religioso secessu sentire quàm magnificentissimè solitus esset: cujus decora, cùm diu multúmque cum animo suo expendisset, tam altè infixa pectori hærebant, ut bipalium, quo domesticam vineam repurgaverat, Pontificio Pedo potius haberet. Audiamus quibus verbis dolorem suum, quo in Laterano conficiebatur, Cæsaris sorori testetur. *Sub colore Episcopatûs*, inquit, AD SECULUM SUM REDUCTUS. *Alta enim* QUIETIS MEÆ GAUDIA PERDIDI: ET INTUS CORRUENS, ASCENDISSE EXTERIUS

Lib. 1. Ep: 1. Theoctistæ. To. 32. 2.

VI-

VIDEOR. *Nil autem in hoc Mundo appetens, nil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ità ut in me pœnè impletum crederem, quod, pollicente Domino, ex Propheta didicissem: Extollam te super altitudines terræ.* Qui tam profundè rimatur opes, quas DEI servitus in se recondit, non modò non eripit Christo, quod vitæ melioris principio illi dicavit, sed ejus ærumnas laborésque majore semper constantiâ urget, pluribúsque incrementis exaggerat: miserúmque se credit ac infelicem, non cùm religiosæ austeritatis gemit sub pondere, sed cùm à Deo exoneratus, & ex obscuræ laboriosæque vitæ tenebris evolutus, in præcipua subsellia Vaticani Senatûs attollitur, ut, inter Christiani orbis Principes, radijs circumfusus regnet; forsan ipsis quoque Regibus olim jura daturus, Religionis arbiter, Dux, Imperator. Non aliâ, præter Cognitionem sui, Anchorâ, inter violentas seculi carnísque procellas, retineri possumus, quin, quò illæ rapiunt, sequamur. Rideo proinde, imò deploro, illorum hominum fidu-

ciam, qui Apoſtolicam Vocationem indulgentiâ blanditiíſque confirmaturos ſe ſperant, vacillantémq; retenturos in gradu. Fallimur ſi putamus, inambulatione per hortum, familiari alloquio, lenitate Præſidis, reculæ cujuspiam remiſſione, expletione deſiderij alicujus, ſuave onus Crucis, ſeveriſſimarúmque Legum pondus reddi jucundum poſſe. Reviviſcit enim Mundi amor, pectoríſque noſtri regno vi potitur, ſi cui Rationis armis ire obviam, adversúmque pectus offerre debueramus, palpum obtrudamus, leníque manu indulgentérque blandiamur. Sic Seneca Matrem Helviam, conceptum è filij exilio mœrorem, ſanare jubet: ſic ego quoque omnes illos moneo, qui libertatis commodorúmque deſiderium ſopire potiùs, quàm exſtinguere decrevêre. *Ferox*, ET ADVERSUS OMNE REMEDIUM CONTUMAX EST. *Ideo* MELIUS EST ILLUM VINCERE, QUAM FALLERE. *Nam qui aut deluſus voluptatibus, aut occupa ionibus abductus eſt*, RESURGIT, *ea* IPSA QUIETE IMPE-

Ad Helu: de Conſol. To: 29. 394.

IMPETUM AD SÆVIENDUM COLLIGIT. AT QUI RATIONI CESSIT, IN PERPETUUM COMPONITUR.

109. Videri alicui poſſet, Magni viri ſententiam, à fœminarum maxima, de qua Salomon longum ſermonem in Proverbijs ſuis texit, multò antè præviſam fuiſſe. Cupido illam inceſſerat agri longè amœniſſimi. Eum tamen non priùs emit, quàm ab omni parte metiretur, accuratiſſimóque ſtudio ſitum, aſpectum, pomorum indolem, arborum feracitatem contemplaretur. Subinde quàm pleni culmi aſſurgerent, quæ ſpes meſſis, quàm apta ſulcorum diſtinctio, quæ vis herbarum, quales intactæ aratro ſemitæ forent, ſedulò exploravit. Et quoniam emptioni tam diligens examen præmiſit, haudquaquam eam ſumptuum factorum deinde pœnituit. Imò novo impendio, exquiſitáque diligentiâ, ſuis ipſa manibus Vineam panxit, præſentis æris fructu fraudari ſuſtinuit, donec inſitij palmites in botros, uberémque vindemiam proficerent.

Prov. 31. 10. CONSIDERAVIT AGRUM, ET EMIT EUM: *de fructu manuum suarum plantavit vineam.* Equidem timeo, si quando vitæ genus arripuerimus potiùs, quàm diu antè serióq; meditati simus, nè deserti Mundi voluptas, Crucísque, tantis sumptibus emptæ, veneratio subinde haud leviter nobis minuatur. Id quod nullâ ratione contingeret, si cum Bernardo, quas adepti sumus, opes cognosceremus. Nam petentibus vobis Sacræ familiæ descriptionem, respondebit: eam æternitatis negotiationem esse perpetuam, in qua non diademata sibi comparant, solæ preces, psalmi, lachrymæ, tolerantia, obedientiáque: verùm etiam somnum, quietem, refectionem, animíque relaxationem præmio non carere. Quapropter quisquis sub Christi signis militat, is in ejus amplexu, aut spe mercedis æternæ confirmatum, aut promeritorum copiâ ditatum se deprehendit. Gaudio igitur inundatus, & ad Monachos suos conversus, fieríne potest, exclamat, ut liquidissimæ voluptatis sensu non exanimemini, quan-

quando Deum in ære veſtro, Mundíque univerſi, ejus causâ relicti, Crucísque, duræ licèt aſperæque, in humeros receptæ, delatæque nomine habetis obſtrictum? *Gaudete, quia jam percepiſtis dona ſiniſtræ; gaudete, quia expectatis præmia dexteræ. Læva,* inquit, *ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* LÆVA QUIDEM LEVAT, DEXTERA SUSCIPIT. *Læva medetur & juſtificat, dextera amplectitur & beatificat. In læva ejus merita, in dextera verò præmia continentur.* In hanc ſententiam diviniſſimus Abbas alloquebatur Alumnos ſuos, veterum Anachoretarum germanas effigies, vivásque Imagines hominum in corpore extra corpus, cujus non minùs incurioſi, quàm jurati hoſtes erant, habitantium. In hunc modum ego quoque Auditores meos exhortarer, ſi non Iſraëlitas modò acriter caſtigâſſem, quòd Ægyptum ſolo Moyſis ad fugam invitantis reſpectu reliquiſſent. *Audierúntque, & proni adoraverunt.* Rectiùs igitur fecero, ſi Samaritanos potiùs, quàm Judæos, imitari vos juſſero, nè Religionis

Cant: 2.

Ser. 4. in Vig. Nativ. To: 41. 108.

transfugas ſecuti, funeſtas per ſolitudinem Tragœdias inſtaurâſſe videamini. Illi priusquam novæ Legi cervices ſubderent, poſthabitis Panegyricis, quibus Mulier Chriſti vaticinationem, à quo ad frugem reducta fuerat, extollebat, ipſi per ſe ſe laudatæ ſcientiæ, cæterarúmque ejus virtutum adhibito familiari colloquio, experimentum capere decrevêre. Et verò, è tam accurata cauſæ cognitione, tam altas radices eorum in Meſſiam fides, obſervantiáque fixit, ut quem Samaritana Vatem, à Patriarchis exoptatum, haud ſatìs certò, affirmatéque dicere auſa fuerat, eum ipſi haud dubium humani generis Servatorem agnoſcerent, faterentúrque. *Manſit ibi duos dies. Et multò plures crediderunt in*
Ioan. 4. 40. *eum propter ſermonem ejus. Et Mulieri dicebant: quia jam* NON PROPTER TUAM LOQUELAM CREDIMUS: IPSI ENIM AUDIVIMUS ET SCIMUS, *quia hic eſt verè Salvator Mundi.* Atque hæ Cognitionis, quam allocutionis meæ ſcopum præfixi, gloriæ, hi triumphi ſunt. Eam qui excolere impensè ſtudue-

duerit, datam Christo fidem constanter retinebit, atque ùt eum Reges Bethlemi adorârunt, & Sichare Samaritani Orbis Reparatorem fassi sunt, ipse quoque omni loco ac tempore perinde in illum afficietur. Cur enim tanto ejus amore Cœlites ardere putas, nisì quia Divinitatem, quam diu noctúque laudibus celebrant, intuentur atq; cognoscunt? Quemadmodum igitur receptarum Cœlo mentium felicitas in Divinæ Naturæ visione, vel tanquam in radice, id quod nemo Theologorum negat, vel tanquam in forma, quod præstantissimi quique volunt, consistit: sic vitæ perfectio apud mortales ex eo pendet, quòd hi nuncupatorum à se votorum præstantiam, felicitatem, sanctitatémque planè intelligant. Hæc scientia, ùt Petro Cœli Claves consignavit, sic Collegam ejus Paulum accinxit gladio, quô Romanum Imperium Religioni subjecit. Et alter quidem, *Tu es*, inquit, *Christus filius Dei vivi*; ideóq; illud etiam addere potuit: *Tu scis Domine, quia amo te.* Exclamabat alter: *Scio cui credidi, & certus*

sum,

ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem: hinc in graviſſimis cruciatibus exultabat, triumphabátque in vinculis: *Superabundo gaudio in omni tribulatione mea.* Quare ſi nos quoque ſolidâ Dei, cujus ſigna ſequimur, cognitione mentem firmaverimus, nullas unquam caſtrorum anguſtias, non pondus armorum, nec ærumnas queremur, quibus, alienam ſalutem procurantes, Dæmon exercet. Dicam breviùs: qui trium Magorum exemplo, divino lumine colluſtratus, vitæ genus, quod profitetur, adorat, eidem honorum Thus, Myrrham ærumnarum, Aurum denique commodorum ritè conſecrabit. ADORAVERUNT EUM, *& apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera.* Contrà, qui non prompto animo ſua omnia ad Chriſti cunas deponit, quis ille ſit, non intelligit; quam ignorantiam bonus DEUS ab univerſis avertat.

EX-

EXHORTATIO XLVI.

In Pervigilo S. IGNATII.

Insiliet in te Spiritus Domini, & mutaberis in virum alium. *1. Reg: Cap. 10.*

QVi Religiosæ Familiæ nomen dat, totum se penitúsque mutet necesse est. Exteriores sensus facultatésque interiores vniversæ, in Evangelicæ Disciplinæ ac Crucifixi effigiem transformandæ sunt. Hæc imperfectorum secularium, in consummatæ Virtutis Apostolos, Metamorphosis Tironibus Societatis, Operariísque longè magìs necessaria est, quàm recentibus, veteranísque solitariæ vitæ cultoribus: hos enim solitudo procul à prælijs submovit, nos

con-

contrà Salutis humanæ studium, in media bellorum discrimina immittit. Nemo deinde, quocunque virtutis lucro, contentus sit, sed sibi quisque auctor esto ad nova, sub ductu Regentium, incrementa virtutum. Quisquis in consecratis Deo Domibus non statim inardescit, is per omnem deinceps ætatem languebit, ignavámque oppetet mortem. Quisquis denique ad Indicos labores aspirat, atque illic paria Martyribus tormenta sperare audet, nulla hîc incommoda ferre recuset, quæ Christi Servis sors, Natura, Claustrum, Deus, exercendæ virtuti, præmiísque promerendis materiam, offerunt: atque adeò qui vulnerari cupit, pungi non reformidet.

110. HAnc longè nobilissimam metamorphosim, quam Sauli vaticinatum Samuelem audivimus, primus ille Israëlis Rex adumbravit, & subinde à maximis quibusque sanctissimísque viris, qui ex otiosa licentíque vita ad Perfectionis Evangelicæ studium se contulerunt, numeris omnibus absolutam, expressámque spectavit Ecclesia. Inter hos, nescio quis, post Apostolum Gentium Paulum, & Augustinum Sapientium Doctorem, meliùs Ignatio, è licentia profanæ militiæ ad obscuræ, asperǽque vitæ professionem transgresso, immutatum in alium virum Hebræum Juvenem expresserit. Quoniam verò Saulis transformationem tria potissimùm illustrârunt, videlicet mutationis insolentia & magnitudo, tum causa eáque perlevis, è qua nata, ac denique celeritas, quâ perfecta est, primùm in consecrato Rege, tùm in Ignatio percurremus, eo consilio, ut in Nobis, qui Legislatoris nostri lachrymis geniti ejus vestigia insistimus, simili eos ectypo referamus.

111.

III. MUTABERIS IN VIRUM ALIUM. Quodnam verò mutationis genus Galgala viderunt, cùm de Agasone repentè vates, & pari cum Tabernaculi ministris religione psalmos decantavit, edidítque oracula? INSILIIT *super eum*
1. Reg. 10. 10. *Spiritus Domini, & PROPHETAVIT in medio eorum.* Quâ rei novitate attoniti, divinarúmque sententiarum reverentiâ commoti accolæ clamabant: QUÆ-
1. Reg. 10. 13. NAM RES ACCIDIT *filio Cis? Num & Saul inter Prophetas?* Quòd si autem tantam in Israëlitis admirationem sacra Saulis dicta excitârunt: quo stupore ab Apostolicis, hominéque majoribus Ignatij facinoribus, defigi illos oportuit, qui eum arces cum speluncis, loricam sacco, flagro Hastam, militarem Baltheum catenâ commutâsse: atque asperitate vivendi, copiâ lachrymarum, cruoris profusione, contemplationis sublimitate, nuditate pedum capitísque, in novæ Militiæ, quam instaurandis ubique moribus, pravísque opinionibus eliminandis DEUS providerat, Ducem ac Imperatorem esse con-

converſum, vidêre? Age verò, quis unquam ſeu gemitus audiret Ignatij, ſeu vulnera inſpiceret, inediam ac totam vivendi rationem conſideraret, perſvadere ſibi potuiſſet, hunc illum primariæ nobilitatis virum eſſe, qui paulò antè, aureâ ſericáque ornatus veſte, Principum ædes frequentabat, armorúmque luce, criſtatóque vertice conſpicuus, omni munimento fortior, commiſſas ſibi arces tutabatur? Quis dubitare poteſt, in ea ipſa Hiſpaniæ parte, in qua Ignatius clariſſimos natales habuerat, aut magnâ famulorum catervâ ſtipatus, ampliſſimæ fortunæ ſpecimen dederat, aut, fortiter pugnans, Imperatorias laudes haud dubiè promeriturus videbatur; quis, inquam, dubitet, non paſſim per omnium ora volitâſſe, omnium ſermonibus celebratam fuiſſe tam inſignem metamorphoſim, quæ, humanæ gloriæ mancipium, in divini nominis propagatorem improvisò converterat? Ego certè in Manteſanæ ſpecûs veſtibulo Angelicis exaratum manibus oraculum videre mihi videor: *Inſiliet* IN TE SPIRITUS

TUS DOMINI, *& mutaberis in virum alium.*

112. Atque hanc Morum Conversionem ab unoquoque noſtrûm Mundus expectat, vel eo ex capite, quòd nos, à paternæ domûs commodis, ad religioſæ familiæ auſteritatem videt confugiſſe: neque enim ulli vitæ mutationi, nisì plenæ omníque ex parte perfectæ, acquieſceret. Huc reſpexit Gregorius Nazianzenus, cùm Oratione quadrageſimâ corporis pariter animíque, interiorum juxtà exteriorúmque facultatum, ac totius denique hominis, naturæq; renovationem à Neo-
Orat. 40. To. 115. phytis exigeret. OMNIBUS *Membris purificemur*, OMNES *Senſus purgemus*, NIHIL QUOD PRIMAM NATIVITATEM OLEAT, *nihil denique luminis expers relinquamus. Omnia membra, quæ ſunt ſuper terram, Deo demus*, OMNIA CONSECREMUS. Et verò poſtrema vox, quâ graviſſimus Scriptor ſententiam abſolvit, luculenter exponit, qualem eſſe oporteat morum affectionúmque noſtrarum mutationem. Nempe ut Animus, ſi for-

si fortè juvenilium errorum vitiorúmque Pantheon quoddam extitit, subinde in dicatum Martyribus Templum, & Martyriorum amorísq; divini Palæstram conformetur. Equidem Agrippæ temporibus, in magnifico illo profanorum Numinum Delubro, Hecatombæ cædebantur, sacrilegia regnabant, superstitio triumphabat, Dæmones colebantur, Deus appetebatur injurijs. Quamprimum verò à Pontifice Romano expiatum, & consecratum Religioni fuit, continuò profanis victimis sacræ Hostiæ successerunt, resonantibus ea ipsa in sede divinis laudibus, in qua nuper blasphemiæ audiebantur: prostantibus ad venerationem Sanctorũ Cœlitûm ossibus, quorum antè nomen odio fuerat & execrationi, Divinæ Clementiæ supplicantibus populis, & Baptismo hæreditariam lábem, aut lachrymis commissa sua eluentibus, quo loco Inferorum responsa, sortes, auguria, sacrilegi profaníque mutorum simulachrorum Adoratores solicitabant. Jam verò quod prodigioso, Romanæque potentiæ non

impari fano, ſtatim à Dedicatione ſua contigit, id repræſentare noſtrûm quemlibet oportet, ſi Gregorij mandatis morem geſſiſſe videri volumus: *Omnia membra conſecremus.* Qui quondam incompoſitè licentérque vagabantur oculi, jam dejecti frenatíque, non modò nulla intemperantiæ alimenta miniſtrent, advocatis ultrò inteſtino incendio flammis, ſed, defixi Cœlo, lachrymarum imbres profundant, veterem licentiam abolituros, novǽque vitæ integritatem irrigaturos. Lingua, facetiarum quondam arrogantiǽque theatrum, in Pœnitentiæ, dolorum, gemituúmque tubam exedrámque converſum, vel proprios accuſet errores, vel alienas virtutes commendet. Palatum ſubinde, quod dapum exquiſitiſſimarum gurges, altiſſimáque vorago videbatur, illas quoque, quas Natura requirit, nec Gratia vetat, tanquam ſcopulo durior repellat. Pedes illi, qui ad roſaria feſtinabant, quemlibet florem calcaturi, pratis omnibus veſtigium impreſſuri, ad Calvariam, ad clavos, ad dolores ultrò contendant.

dant. Manus denique, agendis ex omni voluptate prædis assvetæ, amarissimæ Myrrhæ fascibus onerandæ, & ad totius corporis cruciatum exserendæ. *Quid multis? Omnia membra, quæ sunt super terram*, CONSECREMUS. Quòd si verò exteriores quoque glebæ hujus, quâ circumdamur, partes dedicari, ínque aras verti, oportet, ad quas vera morum instauratio, diebus momentísque omnibus immolet Deo, jam spectaculorum hilaritatem, aliàs jucunditatem symphoniæ, ciborum svavitatem, odorum fragrantiam, fontium pratorúmque amœnitatem, quid, quæso vos, de intimis animi facultatibus longè nobilioribus, & ad faciendos in virtute progressus multò magis necessarijs, propriísque instrumentis, statuendum existimatis? Licebítne memoriam maternarum blanditiarum, aut contemptorum à nobis commodorum recordatione remollire, quando rerum novarum rumusculis, carminúmque profanorum recitatione aures fricari nefas habetur? An plausum, honorésque concupiscere

integrum erit, si, nè verbulo quidem, laudes proprias, majorúmque præclarè gesta, dignitatémque perstringere concessum est? Quid? cognatóne sanguine voluntas impunè mergetur, opúmque cupiditate sordere, cùm grande piaculum admisisse pedes censerentur, si floridis in semitis, & sub Platanorum umbra constiterint? utinam verò rima quæpiam patuisset Manresani antri primis illis admiratoribus Ignatij, ut mentis illius, in Cœlum usque suo ardore subvectæ, corporísque ferro dilaniati nativam effigiem licuisset expingere! At Deo laudes, quando, quod incuriâ hospitis, à quo Ignatius horrido in illo specu pastus est, nobis perijt, ejus vitæ diligentissimi Scriptores repræsentârunt. Equidem illi talem nobis Ignatium reddidêre, sic inediâ confectum, continuatis vigilijs ità exhaustum, eo precum ardore, austeritate cruciatuum, vestis neglectu, injuriarum patientiâ, compositione morum, magnitudine consiliorum, Apostolicâ demum ac prorsus cœlesti vivendi formâ conspicuum, adeóque mirabilem,

bilem, ut fidem ſuperare videatur, potuiſſe hominem, primis ſtatim vitæ melioris exordijs, in conſummatiſſimæ ſanctitatis exemplar conformari. Atque ad hanc virtutis formam ut ſeſe Ignatij filij exigerent, Sanctus Spiritus voluit, ſiquidem in alios, quàm qui huc venêre, abire homines optat ; hodiéque unumquemque noſtrûm, quos ad Crucem invitavit, ijsdem, quibus quondam Saulem, alloquitur verbis: *Inſiliet in te Spiritus Domini, & mutaberis in Virum alium.* Non exteriorum modò ſenſuum immutanda ſpecies, aut in vultûs habitúsque conformatione quapiam acquieſcendum nobis eſt, quæ, ùt nullo labore comparatur, ità facillimè deperditur. Sed quidquid ſumus, aut videmur, corpus animúmque vertere nos oportet, ut vultu pariter verecundiæ purpurâ, pectoréque flammis charitatis accenſo, editam oraculo ſortem impleamus, ſimúlque, cum profana veſte, veteris Adami mores abjeciſſe, ſimul, cum religioſâ toga, virum alium videamur induiſſe.

113. Terrebit opinor aliquos tam insignis Conversionis necessitas: quærëntque, quid causæ sit, quod Alumnis Ignatij, sub ipsum Tirocinij tempus, Metamorphosis ejusmodi longè difficillima provincia imponatur, utique cùm ab Anachoretis quoque virtutis quædam mediocritas probaretur, toleraretúrque in ijs, qui recèns id vitæ genus suscepissent. Pachomium certè ratas habuisse adolescentûm querelas, quòd, verni jejunij tempore, cœnulam coquere, imprudens ministri severitas, renuisset. Fuerit sanè hæc, ùt dicitis, in solitudinis inquilinis mediocritas, non ideo tamen inducor, ut nemorum Alumnis Domûs hujus incolas patiar exæquari. Utque discrimen, quod utrosque separat, ostendam, epularum diversitas exponenda mihi est, quibus otiosi cives, durísque laboribus exerciti gladiatores nutriuntur. Atque illis quidem pauca legumina, panísque sat est protrahendæ ignaviæ; sed hi validis dapibus, vinóque generosiore durari ad prælia debent. Illorum vita quolibet alimento se sustentat,

his

his verò, ut adverſarium proſternant, multo robuſtóque cibo confirmandæ vires ſunt. Animadverſum id Philoni, primô Allegoriarum librô. ALITER, inquit, EGO, ET ALITER ATHLETA NUTRIMUR: *Ego tantùm* UT VIVAM, ATHLETA UT CRASSESCAT, *& robur acquirat.* Anachoreta certè procul à turbis vivit ſibi, Pudoris cuſtodem ſylvam, ſolitudinémque Contemplationis ſacrarium habet. Hinc vel tenui virtutis apparatu poteſt eſſe contentus, ut feras inter belluas, procul ab ambitione, & in vaſtis arenis, ſecurus à lapſu vitam exigat. At verò nos, quibus actuoſum vitæ genus obtigit, quibus in Gymnaſijs adoleſcentes erudiendi, expiandi homines facinoroſi in Templis, Principum Optimatúmque ſuis in Regijs animi moderandi, cum omni genere hominum in itineribus Miſſionibúsque verſandum, inſigni modeſtiâ opus eſt, nè faſtu tumeamus in Aula; invicto prorſus pudore, nè periclitemur inter feminas; egregio virtutis ardore opus eſt, nè conſvetudine

Lib. 1. Alleg. To: 107. 118.

illorum, quos ad frugem reducimus, intepescat & restinguatur. Athletæ proinde ùt frigida panísque secundarius satìs non est, ut æmulum supplantet, totóque corpore incumbens in arena extendat: quó tamen victu tolerare vitam utique potest, qui pro foribus domûs suæ sedens, illac transeuntes otiosè spectat: sic cùm Anachoretis haud magnopere laborandum cum hostibus sit, quippe quos ipsa loci natura procul ab ijs seposuit, præstátque inaccessos; paucis possunt esse contenti: at nos, qui in acie quodammodo, mediísque in periculis versamur, ad repellendos adversariorum impetus, vitiorúmque irritamenta superanda, longè major necessitas premit, cœnis Apostolicis, Angelicóque Pane, hoc est rerum divinarum meditatione, & invictæ constantiæ robore animum firmandi. *Aliter ego, & aliter Athleta nutrimur.*

114. Ex hac Sapientissimi Hebræorum allegoria, pronum mihi est ansam arripere, illorum ignaviam exstimulandi, qui, cùm in hac Domo, ad dura certami-

na cum amatoribus Mundi decertanda, parentur, amaram quidem, ſed robuſtam illam eſcam, quam Ignatij filijs, vitiorum quondam domitoribus futuris, Mortificatio miniſtrat, tam citò faſtidiunt. Video, prô dedecus! unum alterúmve, qui religioſam Diſciplinam, ſupremis duntaxat deguſtatam labris, continuò rejicit, & lethali faſtidio præcepta Perfectionis, quæ hìc traduntur, nondum bene audita, exoſus, aut è menſa ceu probè paſtus ſatúrque conſurgit, aut epulas à ſanctitate paratas relinquit intactas, nè unâ quidem guttâ fellis deguſtatâ. Hos juxtà mecum compellat Apoſtolus: *Iam ſaturati eſtis, jam divites facti eſtis?* Quam ſententiam Chryſoſtomus ſimili doloris indignationíſque ſenſu proſecutus, ſaturos hóſce Tirones minaci tonitru percellit: *Tam citò ad finem perveniſtis?* Fratres chariſſimi (lubet enim Sancti Doctoris orationem ad vos convertere) ſi vos, inquam, poſt plurium annorum exacta ſpatia, debellatóſque non uno prælio hoſtes, poſtquam vel cum Antonio in precandi ſtudio con-

1. Cor: 4. 8.

Hom. 10. in 1. Cor: To. 43. 101.

senuistis, vel cum Hilarione in humanæ gloriæ contemptu adolevistis, vel in fundendis lachrymis ætatem omnem posuistis cum Arsenio, vel denique, cum Ignatio & Francisco, multo usu exercitati abdicandis honoribus, repudiandísque Magistratibus assveviſtis, partâ virtute frui, nec ultrà desiderijs tendere propositum haberetis, haud magnopere commoverer. Verùm quòd labris etiamnum Ægyptio melle humentibus, paucísque admodum myrrhæ guttis obiter aspersi, receptui canatis, & ceu perventum esset ad metam, ulteriores in virtute progressus seu lassitudine, seu fastidio negligatis, id enimverò est, quod stomachum Veteranis, & Moderatoribus horrorem movet. Sanè tam supina vecórsque negligentia ineptam virtuti mentem manifestis indicijs prodit. *Paucis saturari, est animi imbecillis. Paucis existimare, se ditari, est nauseantis ac miseri.* INSATIABILIS ENIM RES EST PIETAS. Nempe qui ex animo Pietatem colit, non is antè quiescit, quàm in eorum, quos Apostolus mortuos appellat,

Ibidem.

descri-

descriptum se catalogo viderit. Et de illis quidem exstat Elogium ejusmodi : MORTUI ENIM ESTIS, *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Atque ego quidem, ut cupiditates vestras comprimeretis, vos adhortatus, non vidi, satìs id haudquaquam futurum, nisì penitus eas exstingueretis. Optat enim sectatores suos Paulus, optat & Alumnos suos Ignatius, non tam mortificatos, quàm mortuos. An negare quis potest, à S. Patre pro vitæ forma frigidum Cadaver fuisse nobis propositum ? Idem exemplum non uno in loco producit, intuerîque nos jubet, illam mentis ad quælibet munia gradúsque perinde affectæ habitudinem, illam ærumnarum patientiam, invictam illam adversùs voluptates, ac sinè sensu constantiam, illud cupiditatum omnium lethale frigus, illam denique positûs, vultûs, motuum omnium invariabilem rationem, quam in destitutis Animâ corporibus universi animadvertimus. Quòd si autem prævisum Societatis hujus Conditori fuisset, fore, ut aliqui verbo perstricti dolo-

Colos. 3. 5.

dolorem præ ſe ferrent, incuſſum ruborem non ferrent, alienum à munere quopiam animum gererent, aliúdve mallent, aut Domicilium votis occuparent, adeóque, quales Apoſtolus optabat, Mortui non eſſent, enimvero è vitæ libro, quem meditabatur, eorum nomina eraſurum fuiſſe arbitror. Plus tamen, nisì fallor, Paulus poſtulavit, cùm Diſcipulorum ſuorum virtutem ad Cadaverum formam exegit. Non ſolùm enim voluptatis nulla cupido jacentem in feretro laceſſit, aut injuria movet, ſed ipſe ſaniem ex ſe ſtillat, quâ exedatur, redigatúrque in pulverem. Ut adeò cùm nullus eos ſenſus rerum humanarum tangat, ad ſui tamen carnificinam vivere videantur, prolato ex ſe, quo deformentur, & horrorem ſui ſpectatoribus ingerant. Ad has metas utì pervenit Ignatius, tam negligens famæ, quàm avidus injuriarum, ſic pertingat oportet, quisquis ſe filium profitetur Parentis illius, qui Mortuo, quàm Mortificato ſimilior, dum viveret, exſtitit.

115. Neque verò, ut tam insignem nostri mutationem consequamur, vel Sinæ fulgura, vel illapsas Apostolis in Sione flammas, vel Pauli in dicendo efficaciam, vel Petri denique in objurgando vehementiam expectare debemus: id quod secundo loco me demonstraturum receperam. Omnis enim Divini Spiritûs impulsus, quilibet Præsidum nutus, quodcunque Sodalium exemplum necessitatem nobis imponit, hanc, quam dicimus, Conversionem perficiendi. Sanè Saulem nec leonum occursus, nec armati Cherubini minæ subegerant: solo Anachoretarum in Galgalis aspectu alienatus, à sensibus psalmos decantare cum Levitarum Choro, edere oracula, rerúmque futurarum arcana pandere populis cœpit. Ignatius quoque nullis Sacerdotum monitis, aut Præsulum minis debet, quòd à militari licentia se ad religiosum asperrimúmque vitæ genus traduxerit. Quamprimum enim oblatas fortuitò Sanctorum Historias inspexit, tanto Sanctitatis studio exarsit, ut eo ipso in lecto, in quo decumbens,

bens, volumen aperuerat, ſic commoveretur animo, ut domum omnem ſuccuteret, cœleſtibúsque viſis intereſſe jam poſſet. Avertat à vobis Deus fucatam illam, ſuppoſititiámque Pietatis ſpeciem, quam vobis ſeu loci Religio, ſeu vigiles moderatorum oculi, ſeu privatæ publicǽque ad Apoſtolicam virtutem vos excitantium voces, ſeu pœnæ metus, in Legum violatores decretæ, ſeu denique publicum in reos odium extorquere forſitan poſſent. Non eſſet profectò Perfectionis ejusmodi larva fervor ille virtutis, quem etſi per ſe magnum, naſci tamen interdum è re minima diximus. Quælibet virtutis ſpecies, quæ in oculos incurrit, ſermo de illa omnis ad aures veſtras allapſus, aut illata fortè Sanctorum Acta legentibus mentio, Præſidum voluntas, & Moderatorum in commoda veſtra propenſio, in viva quædam abſolutiſſimæ probitatis ſimulachra vos effingat neceſſe eſt. Neque mirationem alicui faciat, id à vobis requirere me, quod Gregorius Nazianzenus in Catechumenis ſuis expertum ſe fuiſſe teſtatur.

Fate-

Fatetur is, ad induendam Neophytis sanctitatem satìs fuisse, si vel Martyris objiceretur effigies, vel Anachoretæ cujuspiam Cilicium monstraretur. Ad primas Magistri voces in lachrymas abibant: primâ quâq; Senioris cujuspiam actione inflammabantur. Eam ob rem flumina illos è stillis enata, Ætnas è scintilla succensas, & Cedros è minutissimo semine ad Cœlum usque sublatas Nazianzenus appellitabat. A GUTTA FLUVIUS *integer, à scintilla flamma sublimis*, A GRANO ARBOR avium requies. Hinc si ex me petas, quis verus Domûs hujus Alumnus, germanáque proles habendus sit? cum ego cum Gregorio dicerem, qui, Jordanis instar, Terram sanctam irriget, sed exiguo tamen Libani rore concretus; *A gutta fluvius*. Id quod aliâ tempestate palàm adeò fuit, ut ipse quoque meminerim, eos, qui verba faciebant in publico, studiosè dissimulâsse ingeniosa quædam discruciandi sui argumenta, veritos, nè primo quoque tempore plus etiam, quàm voluisset Orator, & prudentia sineret, deducta in opus

Orat: 32. To: 115. 308.

coge-

cogerentur aſpicere. Ità pariter excutiebantur è Tironum manibus ſublimes illæ Collationes Caſſiani, auſteriſſimæque Sanctorum vitæ, nè ſcilicet teneras mentes recentium Alumnorum, præcox ardor abriperet, vellentque continuò Anachoretam Paulum contemplationis aſſiduitate, Mariam Ægyptiam inediæ prolixitate, Abrami Neptem pari, nec minùs atroci luctu, Gulielmum Aquitaniæ quondam Ducem injectâ nudis carnibus loricâ, loricatum Dominicum flagrorum immanitate, Bernardi denique amurcam, ceu lactis florem, haurientis, diémque totum obequitantis ſtagnum, nec à ſe viſum, nec odæi feneſtras, neque conclavis ſui tabulatum noſcentis, extaſes ſimili à ſenſibus abalienatione imitari. Quidquid audirent de primis noſtris Patribus memorari, eo ipſo temporis puncto voluntate complectebantur, atque opere complebant. Nulla erat virtutis exercitatio in menſtrua Sanctorum Tutelarium ſortitione à Lectore indicta, quam Tirones illi non ſtatim arriperent, non continuò exe-

exequerentur. Verbo: *A gutta fluvius, à ſcintilla flamma, à grano arbor.*

116. At neque id ſatìs eſt, niſì converſa ad Deum mens ſuis manibus ſanctitatem paret, ingentéſque myrrhæ faſces ipſa ſibi meſſuerit. An autem, inquies, frenum excuti, &c, quò tulerit impetus, ruere patiemur eos, qui nuper admodum in Apoſtolicam palæſtram immiſſi fuêre? Haud equidem, ut frenos abrumpatis, vobis auctor ſum: at neque virgæ ſibilum, ſuccuſſionem habenarum, aut calcarium ſtimulos opperiri vos perpetuò velim. Quieſcat Tiro, cùm juſtitium Moderatores indixerint, nunquam tamen non impelli ſtimularíque optet ad curſum. Sic igitur Chriſti catulos comparatos animo velim, ùt Leonem Juda Chriſtum, orbis Servatorem, fuiſſe in Apocalypſi legimus: *Vicit Leo de tribu Iuda, radix David.* Perplexum elogium! Quippe cùm Servator Judæ proles dicatur, ſubinde, non tradux Davidis, appellatur, ſed origo. Neque enim, quod ordinatius futurum erat, inquit Evangeliſta, *Vicit Leo de tribu Iuda, & de* RADICE *Apoc. 5. 5*

DAVID; *sed: Vicit Leo de tribu Iuda*, RADIX DAVID. Eum nodum ingenij sui acie dissolvit Abbas Rupertus, aítque: Messiam, quatenus Hominem, ritè dici è stirpe Judæ descendere; ùt verò idem Deus cùm sit, Davidis Conditorem, majorúmque suorum parentem appellari. *Magnificum quippe & mirabile est*, EJUS ESSE RADICEM, DE CUJUS STIRPE DESCENDIT. Idem ego præstari ab illis cupio, qui Militiæ Christi nomen dederunt. Vivant sanè sub obedientiæ signis, & à Ducum suorum præscripto nè latum quidem unguem discedant. Impunè tamen, imò etiam cum laude, primos sibi ordines, primum in assultu locum difficillimásque expeditiones ulrrò deposcent. In hunc modum non modò sequentur, quò suus eos ardor impulerit, sed ipsi sibi viam facient exhortando Rectores suos, ut novis identidem laboribus vires suas exerceant, atque alijs super alios cruciatibus ipsos expoliant; ità tamen, ut irrogata supplicia voluntarijs posthabentes, radix simul evadant, surculúsque virtutum religiosarum.

Lib: 4. in Apoc: To: 70. 92.

117. Fal-

117. Falluntur autem magnopere, qui putant, hanc virtutis perfectionem, in ultimos biennij aut vitæ menses, rejiciendam esse, id quod tertium Dissertationis hujus caput erat. Enimvero dilationes ejusmodi nec Hieronymus cupit, nec ego intelligo commune illud diverbium, dandum aliquid esse tempori, communi malorum omnium Medico: quâ quidem sententiâ nihil est ad fovendam ignaviam, judiciáque corrumpenda potentius. Audiuntur in sanctissimis quoque domibus voces illæ: *Modicum ibi, modicum ibi, expecta reexpecta.* *Es: 28 13.* *Mihi non placent*, exclamat *Ep.3. ad Heliod.To: 17. 16.* Hieronymus, *dilationes istæ imperfectæ servitutis Dei. Centurionem Cornelium ùt lego justum, statim audio baptizatum.* Nempe, Gigantem in cunis, & Palæstræ Tironem jam rude donatum, Magnorúmque exercituum Ducem requirimus? Haud equidem mutationes ejusmodi sic festinari posse, unquam somniavi: nec enim ignoro, quàm amplus senectuti campus relinquatur, ad parandos promeritorum thesauros. Fateor Ignàtij virtutem longè per-

fectiorem extitiſſe ſub religioſæ vitæ finem, quàm ſub initium. Ajo tamen, illum ipſo melioris vitæ principio, è milite profano, vanitatíſque mancipio, in Cœleſtem Heroëm, aſperrimǽque vitæ Profeſſorem immigrâſſe. Atque hæc illa Renovatio eſt, quâ in ipſo Domûs hujus aditu vos oportet eſſe conſpicuos: etſi enim metam momento contingere non vos jubeam, cupio tamen alios ab ijs, qui ſtudium ingreſſi fuiſtis, vos eſſe, & in veros Dei ſervos penitus converti. Catulus, tametſi cæcus, latrat tamen ac mordet, quémque olim, cùm in Moloſſum excreverit, genuinum feris infiget, eo, quo poteſt, modo, etiamnum ab ubere Matris pendens, inermi gingivâ minatur. CATULUS, *nondum obortis dentibus*, JAM ORE QUIDDAM MINATUR. Nemo recentium hoſpitum in ſacrarum litterarum adyta penetrare ſe ſe contemplando poteſt. Jam nunc tamen ſui ſpecimen præbet, qui divinorum voluminum ambroſiam ſucturus, præſentémque ubique Deum intuiturus eſt. Non ſum ignarus, quàm

Hom: 9. in Hexaë. To 53. 12.

quàm arctis limitibus circumſcribantur Religioſorum adoleſcentium vota, quibus ad ſe diſcruciandos inardeſcunt: quàm ſeverâ Charitatis lege prohibeantur nudo ſemper pavimento indormire, perpetuum nudis carnibus Cilicium apprimere, cinerem crebrò dapibus inſpergere, brumali frigori nivibúſque corpus objicere, Solis æſtivi vehementiſſimis caloribus caput offerre, omnem denique immodicum uſum eorum armorum, quod in Armamentarium redintegratæ lachrymis Innocentiæ, irata ſenſibus virtus, anteactǽque vitæ deteſtatio, congeſſit. Intrà ipſos tamem moderationis ac prudentiæ cancellos non obſcura dant documenta, qui Crucis amatores, corporíſque ſint hoſtes futuri: jámque in multis veſtram inexſtinctam ærumnarum ſitim, rerúmque aſperarum rabidam famem, quas vel precibus extorquetis laudabiliter importuni, vel arte non unâ è Regentium manibus eripitis callidi ſanctíque Veteratores. Quis eſt veſtrûm, quem ante nuncupata vota mittere ad Antipodas, & ad Evangelium

barbaras inter Gentes disseminandum liceat ablegare? Divinare tamen in promptu est, qui potissimum ignotarum Regionum Apostoli futuri sint, quippe peregrinationum, Expeditionúmque sacrarum studia, gravitas, quâ Religionis Christianæ rudimenta vel pueris in Paroecijs, vel rudibus in foro traditis, indicio sunt, quâ curâ industriáque Guineæ Mauros expiaturi, & Evangelij lucem cæcis per Americam populis illaturi olim sitis. *Catulus, nondum obortis dentibus*, JAM ORE *quiddam* MINATUR. Certè nec Ignatius primis statim annis aut Societatem condere, aut pro concione in templis, necessariâ videlicet eruditione destitutus, dicere potuit. At enim privatis sermonibus Auditores suos ad pietatem urgebat, & passim in turbam sese inferens, morum emendationem proponebat, Præceptor antè, quàm Discipulus, sanctitatis. Quid autem vos vetat, Sancti Parentis exemplo, humanæ laudis gloriǽque illecebras aversari, deliciarum memoriam abolere, Mundi fraudes perfidiámque detestari, cognationis ipsum quo-

quoque nomen oblivisci, Obedientiæ ductum per omnia sequi, nullâ unquam habitâ ratione, quò natura feratur, geniúsve impellat? Equidem austeritate damnosâ excarnificare corpus vetamini: at quæ lex prohibet, calcare fastum, voluptates horrere, odisse quondam amata?

118. Quæ quidem, ùt videtis, non eò pertinent, ut viri priùs esse, quàm adolescentes, cogamini, neque perinde cum religiosæ Militiæ Tironibus, ac cum Veteranis, multarúmque palmarum ducibus loquimur. Vos imò, vos ipsi futura certamina votis occupatis. Non ego vobis Oceanum enavigandum, non adeundos Æthiopas, non revincendam Japonum Philosophiam, evertenda Deorum simulachra, retegendas Bonziorum fraudes, excipiendas Tyrannorum furias, subeundam fortiter pro Christo necem propono: vestra hæc desideria, vestra hæc oratio est. Prudens, imò rerum ejusmodi commemoratione abstineo, vereor enim, nè Probationis anni in his consilijs abeant, neglectis præsentibus, dum longinqua petuntur.

Cupio imò in Domûs hujus exercitationes, minùs quidem gloriosas illas, sed non fructuosas minùs, omni studio, animíque contentione vos incumbere. Quòd si enim præstò est animus, ignota tentandi maria, barbarorum terram peragrandi, compedes, vincula, in damnatorum custodijs perferendi, herbarum succo, ac sylvestribus baccis vitam tolerandi; quid est, quòd objurgantem Præsidem, conclavis angustias, ingratum ferculi unius saporem horretis? Referendum hoc loco est, quod Augustinus in Servatoris nostri Baptismo annotavit. Abjecerat ille se ad Baptistæ pedes, precatus, ut cum vulgo ablueretur: cùm Joannes, tantæ demissionis prodigio
Matth. 3.14. attonitus, *Ego*, exclamavit, *à te debeo baptizari, & tu venis ad me*? Adhæc Christus, metum Præcursoris elevaturus, egóne, inquit, tingi à Propheta recusem, à lictoribus propediem dilaniandus? Ego paucis aquæ guttis respergi dubitem, è cujus corpore totos sanguinis rivos flagra mox elicient ac spinæ? Certè quæ in monte passurus sum, cum hac, qualicunq; demissione

ne

ne, venire in comparationem haud poſſunt. Quam ob rem qui Calvariam meditatur aſcendere, vitam Latrones inter in Cruce poſiturus, grave illi videri non debet, in Jordanem ſe ſe demittere, pios inter populos abluendum. PATI VENI, ET BAPTIZARI NON VENIO? Miretur ſanè Chriſtum à Joanne baptizatum, qui eum ab Herode ſpretum, à Pilato damnatum, proditum à Juda, ejuratum à Petro, à Scribis Cruci adjudicatum non vidit. *Quid ergo?* NON ERAT SUSCEPTURUS BAPTISMUM A BONO SERVO, QUI PASSIONEM SUSCEPIT A MALIS SERVIS? In hunc modum ſecum ipſe ratiocinetur, oportet, qui moleſtas navigationes, inhumanas gentes, crudum cœlum, ærumnoſam vitam, mortem cruentam animo concipit. Siccíne verò ſpinarum aculeos fugiam, qui gladiorum aciem, haſtarúmque mucrones provoco? Itáne ſedere, cubaréque cum aliquo incommodo nequeam, ſi ſuperos audeo rogare, ut è pedibus ſuſpenſo liceat immori foſſæ, vivúmque

Tract. 5. in Ioan: To. 37. 38.

Tract. 4. in Ioan. To. 35. 36.

tumulari? Quâ ratione non illudi sibi à me Deus queratur, qui copiam mihi fieri efflagitem, ardentes fornaces, & infessa serpentibus antra subeundi, si quietem culicis aculeus, Sextilis mensis æstus, religiosam patientiam, ac tum linguæ, tum mentis constantiam mihi extorquet? Exclamet igitur pro se quisque, qui Apostolicorum hominum ærumnas, laborésque votis suis metam præfigit: *Pati veni*, ET BAPTIZARI NON VENIO? Sic unusquisque mollitiem ignaviámque suam castiget: si quando, neglectis moderatæ virtutis exercitationibus, quibus religiosa disciplina suorum Alumnorum alacritatem experitur, grandium potiùs facinorum umbras ut consectetur, hortator Dæmon suggesserit. Sic & alios in viros mutabimur, ídque Marte proprio, sinè mora, & pœnarum metu præstabimus, Samuelis oraculum comprobaturi: *Insiliet in te Spiritus Domini, & mutaberis in virum alium.*

119. Id autem proculdubio satìs non est: quando Saul, qui hæc omnia præstitit, si modò divinâ clementiâ servatus ab

inte-

interitu fuit, sui certè factus parricida, in horrendum facinus, privatæ ferociæ impetu, actus est. Insistendum proinde vestigijs Ignatij, qui conceptam, in paternis ædibus sui mutationem, ac Manresano subinde in antro perfectam, in omni vita retinuit, ac Romæ, cum insigni sanctitatis fama, pari fine conclusit. Quam verò causam fuisse putamus, quòd infelix ille Princeps, ex Agasone vates effectus, ad extremum gradu exciderit, divinatione in perfidiam, Deíq; amicitiâ in conjuratam Inferis seditionem, Religione denique in Sacerdotum cædem, ac veneficia commutatâ. Enimvero si Nazianzeno credimus, omnes ejus ruinæ inde ortum habuêre, quòd virtuti se non eâ, quâ par erat, alacritate ardoréque permiserit. *Quoniam autem* SE TOTUM SPIRITUI UTENDUM NON PRÆBUIT, *nec purè* ATQUE INTEGRE, *ùt oraculum ferebat, in alium virum mutatus est, sed pristini fomitis, pravíque seminis* NONNIHIL *supererat, atque in eo cum spiritu caro confligebat, quid omnes illius calamitates tragica* Orat. 7. Tō: 115. 77.

gica

gicâ oratione prosequi necesse est? Hactenus Gregorius. Ego verò existimo, Regem miserrimũ, à grandibus illis spebus actum in præceps, quas à dapibus, osculo, laudibúsque conceperat, quibus celebratus ad reliquarum Tribuum invidiam fuerat, utique cùm occini sibi audiret à Samuele:
1. Reg. 9. 20. CUJUS ERUNT OPTIMA QUÆQUE ISRAEL? *Nonne tibi, & omni domui Patris tui*? Hâc laudis amplissimæque dignitatis imagine occupatus infelix, cùm inter vates sederet in nemore, regnare se cum Imperij optimatibus existimabat, & quo tempore canticis Muneratoris sui gloriam extollebat, jam tunc edicta proponebat & leges, asserendæ potestati, juríque Regio. Nempe ùt linguâ psallebat, sic animo imperitabat, simul se Sodalem Sacerdotum, & Exercituum Ducem arbitratus; canentium choro intererat, legébatque Senatum, adorabat Tabernaculum, vastabátque civitates. Sic ambitionis ac regni fumus oraculorum lucem intercepit, animúsque in regiæ potestatis ostentatione defixus, sacrorum carminum divi-

divinitatem aut neglexit, aut contempsit. Utinam præsentis conditionis tenuitati non officiat Spes administrationum futurarum! utinam, cùm nullus nobis Samuel oracula fundat, non ipsi nobis ea fingamus,& qualicunque splendore munerum graduúmque sublimiorum, quibus hominum suorum virtutem Societas aut remuneratur aut exercet, illecti, ultrò nobis accinamus: *Cujus erunt optima quæque Israel*? NONNE TIBI? Quid si autem Adolescentibus, in Crucis & ignobilium munerum locorúmque amore nondum satis confirmatis, improvidi amici vaticinarentur? fore illos in Ecclesiæ Cœlo veluti totidem omnigenæ scientiæ Soles, & in religiosæ vitæ obscuritate clarissima lumina, à quibus Elementa corporáque omnia vim, virtutémque suam, ac cœlestis insuper Gratiæ influxus sint perceptura. Prô impias voçes, execrandúmque dicendi genus, quo seculi transfugæ, tantum abest ut in Sacrarij Custodes mutentur, ut illi quoque, qui Evangelio se se erudiendos commiserant, in vanitatis discipulos recudan-

dantur. Hæ divinandi perniciosissimæ rationes, Christianorum ardorem, Augustini temporibus restinxerunt oppresserúntq;. Eâ enim tempestate, tum Oratores, tum Antistites, æquitatis amatoribus, Magistratuum honores, prosperitatem imperij, rerúmque omnium affluentiam promittebant. Quibus augurijs fiebat, ut Credentium seducta voluntas, virtutem in quæstum verterent, ac Christiani Christo deservirent, suorum potiùs spe commodorum, quàm Legum reverentiâ inducti. Imò si quando piorum prædia grando vastabat, aut pecora pestis absumebat, aut domus opésque latrocinijs patuissent, Providentiam Divinam impijs auderent vocibus incusare. *Si doctus fuit sperare prospera,* SUPERVENIENTIBUS ADVERSITATIBUS SAUCIATUR, *aut fortassis extinguitur. Non ergo eum ædificat supra petram, qui sic ædificat,* SED SUPER ARENAM. *Leva de arena, & pone supra petram.* IN CHRISTO SIT, QUEM VIS ESSE CHRISTIANUM. *Pertinet autem ad Christianam firmitatem, non solùm*

Lib. de pass. To. 49. 141.

opera-

operari, quæ bona sunt, sed & tolerare, quæ mala sunt. Nemo, in Cruce renatis, victoriam ominatus dicat: *In hoc signo vinces*; sed non semel per diem ingeminet: *In hoc signo vincêris.* Non sit, qui filios Ignatij meminisse jubeat, eum, qui legibus ad amussim paruerit, Præsidum manibus deportatum iri: prænunciet potiùs, strenuissimum quemque in agendo, & in omni vita sanctissimum, ideo pedibus omnium substernendum, & aut neglectum iri à supremis Ducibus aut premendum, quòd nec loqui audeat nec queri. Non primæ cathedræ commonstrentur, ceu certa virtutis ac sanctitatis præmia: imò eos, qui pietatē colunt ardentiùs, obscuriora munia, egentioráq; domicilia manere intelligant. His auspicijs assurgent ex hac domo solidi lapides, durissimáque marmora ad Dei domum aptabuntur. Cæterùm si Tironibus, in Christi censum recenter adscriptis, primos accubitus, melle lactéque manantia flumina, primariámque hæreditatis religiosæ portionem, totúmque assem augurabimur, non jam silices Societatis parie-

parietes, Ecclesiæque propugnacula fundaturos, sed beryllos crystallináque elaborabimus, quorum ùt amœna est species, sic nullus in ædificando usus, ad fastum videlicet pompámq; luxuriæ aptiorum. Quem lapillorum ejusmodi vanissimum luxum, gratum illum quidem oculis, sed gravem ærario, sed ineptum operi, sed Reipublicæ noxium pedibus proterens Tertullianus, *sed & lapillos istos*, inquit, *quid aliud interpreter, quàm lapillos & calculos ejusdem terræ minutalia?* NEC TAMEN AUT FUNDAMENTIS DEMANDANDIS, AUT PARIETIBUS MOLIENDIS, *aut fastigiis sustinendis, aut tectis densandis* NECESSARIA? *Solum hunc mulierum stuporem ædificare noverunt: quia tardè seruntur, ut niteant; & subdolè substruuntur, ut floreant; & anxiè forantur, ut pendeant*; ET AURO LENOCINIUM MUTUUM PRÆSTANT. Sic est profectò, sic est: in Amethystos & Carbunculos denique Tirones illi evadunt, qui Magistratuum, & Curulium gustu initiantur. Adamas certè

De hab. mul. To. 58. 225.

certè digitis ornamento eſt, ſi aureâ palâ claudatur: nitet ille quidem, ſed immenſo labore lævigatus: ad alios uſus ipſo quoque topho ineptior. Hic illorum exitus eſt, qui ad magnas ſpes labore maximo educantur. Formentur, quæſo, Ignatij hæredes, non alijs, quàm Ignatij præceptis. Et is quidem in arrepta mutatione vitæ, contrà quàm Saul, immotus perſtitit: quòd, ab illo diverſus, fixum apud ſe ratúmq; ſemper habuerit, calumniam, ſupplicia, ærumnas, injurias, famem, inopiam, nuditatem, contemptum, in parte laudis, præmij, quietis, lætitiæ, patrimonij, felicitatis denique ac regni reponere. Honoribus etiam ſacris, præfecturis, licèt domeſticis, aditum voti religione occluſit, advocatis ultrò in ipſa penetralia famæ, libertatis, vitæque diſpendijs, id unum votis omnibus dum viveret conſectatus, ut vulgi ludibrium, Academiarum odium, mundi peripſema haberetur. Confirmato ejusmodi conſilijs animo, eundem in vinculis, eundem in plagis vultum ſerva-

vit, lætus opprobrijs odióque, quòd in ſe, ſuámque doctrinam ac Societatem, conjuratum terrarum orbem viderat concepiſſe. Atque hæc illa ſunt Axiomata, quibus unusquisque noſtrûm *in Virum alium* ſe mutabit, & mutatum ſemel in verum Chriſti ſervum, eundem ſe perpetuò ſervabit, nullo unquam tempore calvariam crucémque inhoneſto transfugio deſerturus. Id quod evenire omnibus velim.

EXHORTATIO XLVII.

Pridie Purificatæ Virginis.

Poſtquam impleti ſunt dies purificationis MARIÆ, tulerunt JESUM in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino. *Luc. 2.*

NUllo unquam tempore ſe ad vitæ perfectionem perventurum ſperet, qui non ipſo ſtatim ſui è ſeculo ad religioſum ordinē tranſitu ſanctitatem induit. Id Moyſi Paulóque uſitatum, cùm alter â ſorore ad virtutem, ipſa inter parentis ubera, erudiretur, alter, vixdum baptiſmo initiatus, Chriſti Encomiaſten ſe Judæis approbaret. Verum thus à fictitio ſecernitur, ſi carbonibus injectum fumat ſtatim & ardet. Qui Tiro languet,

guet, Veteranus jacebit. Huic promptitudini jungatur lætitia, suâ sponte ad metam virtutis evolans, rapiénsque sanctitatis decus. Resumit nativum frigus, & obscuritatem suam, quod flammæ vi fornacísque incendio canduit ferrum. Mosaicam proinde rupem potiùs, quàm Jordanem imitemur oportet: illa enim Prophetis, vel absentibus, effundere torrentem non destitit; hic verò, arcâ remotâ, pristino se cursui reddidit. Plena denique & integra esto Metamorphosis nostra, ut Athesis quondam, videlicet ad naturæ usque mutationem, & rerum caducarum, non amoris duntaxat, verùm etiam memoriæ in nobis interitum.

120. HAud procul à Solymis absumus, & ad Templi, toto terrarum orbe religio-

giosissimi, fores cum Virgine Matre, divinum Puerulum Patri repræsentatura, consistimus: Ejus videlicet diei pervigilium agentes, quam Ecclesia supplicationibus, facibus, alijsque spiritualis lætitiæ argumentis celebrare consvevit, id quod non solet; seu in stabulo nati, seu versantis in nemore, aut Galilæam peragrantis, aut in cruce morientis Christi memoriam recolat. Equidem ùt triumphalis lætitiæ morem pietatémque commendo, & veneror, sic ejus causas finémq; haud assequor. Tantíne est, à Matre Filium aris admoveri, mox duorum turturum permutatione recipiendum? Quàm multos Scribarum ac Pharisæorum, qui Pontificum in cœtu sacrilego Servatorem orbis morti adjudicârunt, delatos itidem ad templum, Sacerdotibus oblatos, consecratósque Deo fuisse putandum est, quòd primi parentibus suis nati essent? Quantò major illorum numerus exstitit, qui postquam in pueritia, eodem natalium jure, Divinitati sacrati fuissent, subinde Dicasterij vestibulum vocibus illis impleverunt: *Tolle,*

tolle, crucifige eum : haud veriti, Barrabbam civilis ſanguinis hirudinem Chriſto præponere, ſuſcitatori mortuorum. Quid? vel ipſe Caiphas, cui, utpote Leviticæ ſtirpis Principi, Pontificiæ dignitatis Infulæ obtigerant, ijsdem cum Chriſto ritibus initiatus, ſacris Templi parietibus à Parentibus illatus, divinorum ſacrificiorum miniſterijs ab ipſa infantia dedicatus eſt. Quòd ſi ergo hæc Puerorum oblatio apud Hebræos Primogenitis omnibus, licèt eſſent perverſiſſimæ indolis, vitámq; per omne ſcelus acturi, communis exſtitit, quid attinebat eam in Chriſto infantulo tot laudibus efferre, tantâ pompæ celebritate recolere, utique cùm non deeſſent tot ejus alia facinora, digna profectò, quæ ab Eccleſia proponerentur imitationi Fidelium, & exquiſitiſſimæ celebritatis apparatu feſtíſque gaudijs agerentur. Atq; hæ ſcilicet nebulæ ſunt, quæ præſentis diei ſplendorem animo meo interceperunt, haud ſatis aſſecuti, quam ob cauſam tanta veneratio, feſtáque hilaritas impenderetur actioni ejusmodi, quæ in primos partus

tus

tus universim ac promiscuè cadebat, sive illis vita laudabiliter acta im̃ortalem gloriam, sive flagitia æternam infamiam allatura essent. Sed Deo laudes, luminum Patri, cujus beneficio consecutus sum, ut viderem, quid inter vulgares Primogenitorum ac Christi oblationem inrersit. Nam, præter Jeremiam & Joannem, ope gratiæ materno in utero emendatos, ceu brutæ animantes universi ad aram sistebantur: nullo, nec rationis usu, nec religionis sensu, nec rei, quæ agebatur, conscientiâ: stolidi, & quid Præsentationis mysterium sibi vellet, ignari. At verò divinus infantulus, majore etiam, quàm quâ offerebatur à Matre, æterno Patri religione se dedicabat. Non alienâ solùm dedicatus voluntate, sed suâ fuit, atque, ipso in limine Templi, justissimæ Patris iræ reconciliationis Hostiam obtulit se se, ad cruentum in horto sudorem, flagra in Prætorio, crucem in monte, pro humani generis lytro, divinæque gloriæ amplificatione, ferendam paratissimus. O si crastinâ luce fas esset, è Christi JESU pectore,

velut ex interiori arcæ ſacrario, velum reducere, prô quantam qualémque Thimiamatis, hoc eſt generoſiſſimorum ſpirituum flagrantiam deprehenderemus, videremúsque deſideriorum ardorem, hominum Angelorúmque ſtudijs omnibus majorem, ad cœlum uſq; aſcendere! Quæ res haud modicam mihi curam injicit, nè fortè non omnium oblationes, qui ſe in domûs hujus ſacrario divino famulatu devovent, ejusdem pretij ſint ac dignitatis, licèt eâdem voluntate ſimilíque religione perfectæ videantur. Etſi autem ab hac dedicatione noſtri omnis, quam deinceps in virtutis ſtudio ponemus, vita dependeat, exiguam nihilominus illa vim habet, nisì Chriſti Præſentationi ex omni parte reſpondeat. Quæ quoniam citò, ſponte, integréque ab eo patrata fuit, haud abs re fuerit oſtendere, quantùm ad ſecuturæ ætatis ſanctimoniam interſit, ut is, qui ſe Deo committit, ac tradit, primo quoque tempore, & plenâ voluntate id faciat, totúmque ſe immolet: quando parum admodū, aut nihil præſidij eſt, in nu-

da illa noſtri ipſorum oblatione, ſi fortè illam celeritas liberalis, plenáque inductio animi deſtituerit.

121. Singularis prorſus feſtæque lætitiæ pleniſſimus noſter in Societatem ingreſſus eſt, & à primis ſtudijs, quibus Chriſto nos, omnémque vitam noſtram addicimus, omnis ſubinde virtutis amor derivatur. Id quod manifeſtè videre licet in celeberrimo illo certamine, quod Moyſen inter & Ægiptum, armis conſilijsq; longè diverſiſſimis, commiſſum fuit. Et hæc quidem Provincia omnem lapidem movit, ut amorem ſibi vatis præſtantiſſimi conciliaret. Incolumitatem inter undas præſtitit, cunas paravit in regia, ſervituti, quâ Gens Hebræa premebatur, exemptum voluit, regali ſtirpi innexuit, ùt principe fortunâ dignum erat, educavit, ſummis quibusque non Optimatibus ſolùm, ſed Regis Agnatis antetulit, filiúmque Reginæ adoptatum, regni Hæredem dixit. His officijs Ægyptus cum Moyſe certabat; at ille blandientem averſatus, regionem gentémque abominabatur:

tur: Alumnum ſe negavit, hæreditatem contempſit, regnum abjecit, regiam reliquit, mancipijs ſe aggregavit, popularium ſuorum compedes, quàm Imperium maluit, vaſtiſſimúmque Regnum tenebris, cruore, funeribus replevit. Ad hæc Magnates opibus, ærarium vectigalibus, Regem Subditis ſpoliavit, maximósq; Exercitus, quibus regnatrix Provincia imperium propugnabat pariter amplificabátque, mari Erythræo ſubmerſit. Unde autem tantus in Moyſe in religionem amor, tantum adverſùs ſuperſtitionem odium? Dicetis, nisì fallor, hos illum animos divinis è colloquijs ſumpſiſſe, cùm Sinæ flammis circumdatus, quadraginta dies totidémque noctes cœleſtium rerum contemplationi vacaret. At enim hæc poſt ea, quæ memoravimus, egregia facinora evenêre. Ardor ille Legislatoris Hebræi, non inter ſacri montis ignes, nec in otio illò contemplationis, ſed inter regiæ blanditias, primósq; Infantiæ vagitus exarſit, in qua, è Sororis Matríſque monitis, quarum alteram Magiſtram, alteram Nutricem habuit.

Exod: 2. 9.

buit, tantæ religionis ſemina, eámque in patrijs ſacris conſtantiam hauſit, ut nullæ unquam vel Reginæ blanditiæ, vel prava æqualium exempla, vel Satraparum conſilia, vel Gentis impietas, vel denique regnandi ſpes, eam labefactare potuerint. Audite operis imperfecti Auctorem, ſummo ingenio atque eloquentiâ præſtantiſſimorum facinorum gloriam, feſtinatæ dedicationi, quâ Moyſes, penè dixerim, inter Parentis ubera ſe Abrahami Deo devovit, adſcribentem. *Perdidit beneficium ſuum Ægyptus. Non potuit bene nutriendo facere ſuum*, QUI, MELIUS NASCENDO, FUERAT ALIENUS. Quare ſi quis miratur repudiatam à tanto Viro Regiam, habitum odio Regnum, contemptum Regem, profligatos Exercitus, transmiſſum pedibus mare, initam cum Deo in monte familiaritatem, deſcriptam legem, vitulum, paulò antè adoratum, pedibus proculcatum, deletas Idololatrarum copias, patefactum in Palæſtinam iter, honores vitatos, toleratas injurias, protractam tam diu inediam, cognatum ſan-

Hom: 25. in 10. Matth. Tom. 28. 110.

ſanguinem neglectum, adita fortiter pericula, fuſas ad Deum, inter armatos, medióq; in pugnæ ardore, preces, ſumptum de impijs ſupplicium, opem dubitantibus additam, inimicos in gratiam receptos, ſuſtentatos in gradu nutantes, pertinaces edomitos, tabernaculum religioni conſecratum, ſacra inſtituta, ordinata ſacrificia, jura populis data, conjunctionem cum Deo: hæc, inquam, qui miratur, noverit, ideo Moyſem adultum, juvenem, virum, ſenem ſemper ſibi ſimilem, hoc eſt ſanctiſſimum, fortiſſimum, majorem homine, proximum Deo fuiſſe, quòd, ſub primum illuceſcentis rationis exortum, Avorum ſe Religioni tam feſtinatâ virtute devoverit, ut, quamprimùm, à quo conditus eſſet, agnovit, ab ijs, à quibus educabatur, mentem averterit. *Non enim potuit, bene nutriendo, facere ſuum, qui* MELIUS NASCENDO *fuerat alienus.* Ad ſimilem cum mundo luctam ſe paret oportet, qui hos intrà parietes adoleſcit. Poſtquam enim ab Academijs ad eruditionem informati, literíſque inſtructi fueri-

tis,

tis, in ſolem educemini, ut urbes doctrinâ, & egregijs virtutum exemplis populos illuſtretis. Et verò geminâ hâc luce conſpicuos, laudibus, acclamationibus, veneratione mundus excipiet, ceu Servatores ſuos tantùm non adorabit, ſuiſque in ædibus, atque ipſo in pectore recipiet, ut, quam à vobis lucem hauſit, quámq; à ſermonibus veſtris ſalutem ſibi promittit, ijs, quibus poteſt, grati animi officijs teſtetur. Hoc honorum, undiq; ſe ingerentium, impetu in caſum nutabit, qui infirmis radicibus hæret, vanáq; rerum ſpecie captus, fiet ex Iſraëlita Chaldæus. At verò domûs hujus germani Filij, modeſtiam inter acclamationes, paupertatem in magnarum ædium copia, tranquillitatem in negotiorum æſtu, ſimplicitatem in ſubtiliſſimarum Quæſtionum explanatione, procul à Præſidum oculis, & in ampliſſimis muneribus poſiti, religioſæ diſciplinæ amorem, legúmq; omnium curam retinebunt. Id ſcilicet Moyſi evenit, qui Gentes inter, veri Numinis ignaras, circumciſus, Hebræus inter Ægyptios, ſolitudinem

nem in Regia, in convivijs abſtinentiam, integritatem inter petulantes, ſervitutis denique amorem in ipſo regnandi confinio ſervavit. Talem verò tantúmque ſe præſtitit, quòd celeritate incredibili ſe Deo ſtatim, ac ejus nomen audivit, dedicaverit, Pharaonis Aulâ in Divinitatis Sacrarium, ac Sancta quædam Sanctorum ſibi commutatâ.

122. Porrò, quod Legis Veteris Conditori accidit, idem ſubinde, Amplificatori Novæ, DoctoriGentium, evenit. Enimvero Apoſtolus Paulus Orientem atque Occidentem nominis ſui & omnigenæ virtutis famâ implevit. Innumerabilia illum decora illuſtrârunt, ſeu Gentes ad Chriſti cultum ab eo deductas, ſeu proſeminatum, tum voce tum ſcripto, ubiq; terrarum Evangelium, ſeu præreptam à vivente Cœlitûm felicitatem, ſuſcepta cum Veneficis, cum Conſulibus, cum Pontificibus, cum Cæſaribus deniq; certamina ſpectes. Hic ille Vir exſtitit, qui orbem penè univerſum, quà tùm patebat, peragraret, qui Cœlum, non niſì fato functis

ctis pervium, vivus intraret, qui Angelorum cantus exaudijt, & Divinitatis arcana; qui per Arabiam, Syriam, Illyricum, Macedoniam, utramque Asiam, Urbémque Romam, vexillum Crucis erigeret, eámque, vel ipsis Neronum gladijs venerabiliorem, cariorem Athletarum Imperatorúmque Laureis; sacratiorem deniq; Religionibus omnibus, apud omnes Gentes efficeret. Lubétne autem investigare originem, è qua ingentia hæc decora, & incredibilis gloria profluxit? In promptu causa est: in eum enim, quem miramur, Apostolum excrevit, eò quòd grandia principia Catechumenus sortitus, absolutissimæ virtutis jam tum fundamenta Neophytus jecerit, cùm Deo se penitus, primo conversionis suæ triduo, addixisset. *Cùm placuit ei, qui me segregavit, & vocavit per gratiam suam, ut evangelizarem illum in Gentibus*; CONTINUO *non acquievi carni & sanguini.* En vobis festinatam à Paulo dedicationem sui, cùm eodem temporis puncto Evangelij lucem recepisset, séque à Circumcisione segregâsset: Gal. 1. 15.

ſet : adeò, ut quo momento Baptiſmo tinctus eſt, eodem Numinis in Crucem acti, & omnium odijs etiam tunc flagrantis, Encomiaſtes evaſerit. *Et* CONTINUO *in Synagogis prædicabat Ieſum, quoniam hic eſt Filius Dei.* Tam prompta generosáque feſtinatio, quæ Chriſti, pro ſalute noſtra imitationéque in Templo ſtatim, ubi à Matre oblatus Simeoni fuit, ſe ſe Patri dedicantis, donationem graphicè repræſentat, immortalem tum Moyſi in veteri Lege, tum Paulo in nova gloriam peperit, omnésque eorum actiones atque conſilia mirificè extulit. De ijs proinde ſolis videor mihi ſpem facere poſſe, fore, ut & ſuæ virtutis, & alienæ felicitatis ingentem quæſtum faciant, quorum videlicet, primo ſtatim ſuæ conſecrationis exordio, ingentia ſtudia, contentionémque minimè ſegnem conſpexero.

123. Huc facit, quod Plinius animadvertit, poſterósque monuit, quo diſcrimine verum fictitiúmque thus internoſcatur. Enimvero tantam ejus mercis caritatem temporibus Cæſarum fecerat prodiga

diga Sacrificulorum superstitio, ut nullæ jam Arabiæ sufficerent vanorum Numinum templis. Supplevit inopiam institorum avaritia, resinâ candidâ purgatáque Idolorum Cultoribus obtrusâ, eo doli successu, ut, pro thure legitimo ac digno aris, & emeretur & cremaretur. At non illum naturæ Scrutatorem fefellerunt, quatuor videlicet dotes in vero thure requirentem, quæ in adulterinum neutiquam conveniebant. *Probatur*, inquit, CANDORE, AMPLITUDINE, FRAGILITATE, *nè dentem recipiat potiùs, quàm in micas frietur.* Subinde cùm non ignoraret, hæc etiam indicia fraudi patere, quartum apposuit, quod omnino in resinam cadere nequeat; videlicet carbonibus impositum thus concipere continuò flammam, aërémque svaveolenti caligine inumbrare. Equidem *probatur candore, amplitudine, fragilitate, sed potissimùm* CARBONE, UT STATIM ARDEAT. En tibi certum indicium, quo veri Christi servi à fictis internoscuntur. Quisquis, simul in sacro hoc Altari adoleri cœ-

Lib: 12. c. 14. Tom. 57. 98.

pit, simul ardet, & virtutis fragrantiam latè diffundit, is denique in adyta recipiatur sacrariúmque templi, habeatúrque pro syncero thure felicis illius Arabiæ, quam Christus in novo suo mysticóque mundo suâ ipse manu consevit. Prohibendi contrà, ceu spuriæ fictitiæque merces, qui post plures, à suo in Religiosum Ordinem ingressu, menses, nec ardent nec fumant. Frustrà enim ab ijs, qui in Domo Dei cœlestes inter carbones segniter inflammantur, virtutis amorem, studium religiosæ disciplinæ, exempli fragrantiam, morum integritatem, dicendi fervorem, fructum è privatis publicísque sermonibus, auctoritatem denique ac famam speraveris. *Probatur* quippe futurus olim Apostolus *carbone, ut* STATIM *ardeat.* Qui se facturum pollicetur, nunquam faciet, infectáque & irrita reddet, quæ fiunt ab alijs. Festinare debet munus suum verus Operarius, & cor suum, primo statim tempore, quo in hoc templum intravit, consecrare.

124. Sed neque festinare sat est, nisi

sì tam spontè, quàm celeriter munus tuum obtuleris. Suspectus mihi is calor est, quem loci sanctitas afflat domesticis. Veritus proinde semper fui, plausum commodare candentibus laminis, quas Richardus de S. Victore, mentium in Deo absorptarum, & in charitatis ignem conversarum, imagines esse voluit. *Paulatim incalescit* (de ferro loquitur doctissimus Theologus) *paulatim nigredinem deponit, sensímque in se ignis similitudinem trahit, donec tandem à se ipso* PLENE DEFICIAT, *&* IN ALIAM PENITUS QUALITATEM TRANSEAT. *Sic itaque,* SIC ANIMA, *divini ardoris rogo, intimíq; amoris incendio* ABSORPTA. Equidem vehementer miror, quî factum sit, ut vir tantus, in re longè gravissima, nihilampliùs requireret, ac tantillo sibi acquiescendum putaret. Itáne verò animi, divino amore inflammati, Symbolum dicemus ferrum candens? Eripe modò flammis, videbísque exiguo temporis intervallo ad pristinam duritiem, frigus, ac squalorem redijsse: cujus rei causam in promptu ha-

Tract. de gr. Char. p. 1. To: 77. 176.

bemus: tantum enim abest, ut suopte ingenio ac marte tam illustrem speciem induerit, ut totis nativarum qualitatum viribus splendori ardoríque flammæ reluctatum, cùm jam non posset obsistere, inimicæ sibi mutationi succubuerit. Idem sæpenumero, in his divini spiritûs incendijs usuvenit, in quibus, socordes cæteroquin ac frigidæ mentes, calorem concipiunt, atque in aliam à priore speciem immutantur, subactæ videlicet Familiæ moribus, Sodalium exemplis, ac Præsidum vigilanti severáque custodiâ. Sanè quem adscititius ejusmodi splendor capit, nescit ille aliter consecrari pueros rationis expertes, aliter viros, suâ ipsorum sponte se Numini dedicantes. Et his quidem cum vita durabit virtutis amor, illos pariter, atque hinc, decurso Tirocinij curriculo, migraverint, religiosæ disciplinæ studium deseret. Ardent sanè, scintillant, fulgurant, ac ferri more, quod flammæ cessit. Submotis subinde carbonibus, cùm liberiorem auram respirare cœperint, perturbationum suarum calorem, contumaciam

am indolis receptabunt, intractabiles, & nullam in Crucis formam fingendi. At enim procul absunt, ab ejusmodi, turpissimæ quidem, conversionis periculo, qui & sedulò in accuranda vitæ perfectione laborant, & alijs eandem promoventibus collaborant, operámque suam ac studia conjungunt. Cùm namque religiosæ vitæ leges non patimur modò, sed amamus, vel ipse progressus ætatis, negotiorúmque varietas, pro languore alacritatem ingenerat. Lubet hæc exemplo firmare, haud parùm diverso à priore, suffecto videlicet contumaciæ ferri, amaritie seminis mali aurei: quâ quid ingratius palato, quid insvavius dici potest? Sanè, nè succo permista, cibos suo sapore inficiant, curiosè ab Obsonatoribus ea semina secernuntur. Si quod tamen eorum, terræ mandatum, sepulchrum suum nec dedignetur nec horreat, aperiet illud se se paulatim, ac soli virtutem sibi, illi fibras suas insinuabit, tùm mutuis, ut ità dicam, cum tumulo suo amplexibus junctum, in surculum primò, tùm & in ramos excrescet, ac subin-

de, durato ampliatóque trunco, latè foliorum ſuorum pompam explicabit, fragrantiâ, flore aërem implebit, mensásque aureis pomis ditabit. Quis jam eſt, qui non videat, quàm tenues igni, elementorum licèt omnium principi, vires ſint in ferri maſſam, quòd hoc contumaci & aversâ indole, non tantùm flammæ beneficium ac ſortem ſuam non amat, verùm etiam, dum vires ſuppetunt, oppugnat, ac ſubinde victum, manifeſtis indicijs docet, ſplendoris ac ferroris ornamenta ingratijs ſibi aptata fuiſſe. Contrà verò terra, elementum cæteris ignobilius, tanta prodigia patrat in ſemine, nullius penè molis ac formæ, ingratiſſimíque ſaporis, eam duntaxat ob cauſam, quòd altrici obnoxium transmiſſum ſuccum, tenui licèt anguſtóque ſinu exceperit. Quid multis? illi demum incrementum ſumunt, flores fructúsque parturiunt, qui, quantumcunque obſcuri, nullius, nec religioſæ Vocationis famâ, nec virtutis laude inclyti, ubi primùm ad communem Domui huic diſciplinam admiſſi fuerint, eam arctiſſimè com-

complectuntur, nullorúmque, quibus ad virtutem urgeantur, ſtimulorum indigi, penè antè ad metam evolant, quàm inducantur in arenam.

125. Hinc eſt, quòd Apoſtolus in ea, quam ad Corinthios ſcripſit, Epiſtolâ, non Jordani celeberrimo flumini, ſed ſcopulo ſolitudinis Meſſiam comparavit. *Bibebant autem de conſequente eos petra, petra* 1. Cor. 10.4.
autem erat Chriſtus. Equidem Paulus videri mihi potuit, tot tantorúmque decorum, quæ Profluentem, non tam aquarum quàm myſteriorum ubertate nobiliſſimum, exornârunt, oblitus fuiſſe. Nam ſi ad paradigma ſuum illuſtrandum prodigia requirebat, quis eſt, qui neſciat, Jordanem Arcæ ſiccum alveum præbuiſſe, retentis, qui ſupernè devolvebantur, fluctibus, & in montes, ùt procul aſpicientibus videri poterant, cryſtallinos duratis? Perſtat nihilominus Paulus, teſtatúrque, non placere Chriſto Jordanis vocabulum, placere petræ nomen, quæ Iſraëli torrentes ſubmiſerit, in ſitis ac viæ ſolatium. Cujus, niſì fallor, ænigmatis ſolutio, ex ijs, quæ

dicemus, petenda eſt. Inaudito certè prodigio aquas ſuas flumen illud repreſſerat, ſed non diutiùs tenuit illata curſui vis, quàm Arca Dei vel in alveo ſtetit, vel ripæ adſtitit, ut tutum Populo tranſitum præſtaret. Simul autem eâ regione Arca exceſſit, ſimul Jordanes ad ingenium redijt, cursúmque ſuum, non minùs ac antè, rapidus tumidúsque. At rupes longè diverſiſſimam rationem tenuit, laxavit ea ſe ſe in torrentem Moyſe Aaronéque præſentibus, virgámque intentantibus: ſed & deinceps, cùm illi terga vertiſſent, jámque procul ſemoti per ſolitudinem Populum ducerent, in prodigioſæ mutationis conſtantia perſtitit, immiſſis per Vatum Populíque recedentis veſtigia copioſiſſimis ac gelidiſſimis undis. Id quod Davidem, attonito ſimilem, exclamare coëgit: *Quoniam percuſſit* PETRAM, *& fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt.* Hoc videlicet eſt, tametſi ex informi lapide, vivum ſpiránsque ſimulachrum mentium illarum, quæ ſe penitus Chriſto conſecrârunt, ejúsq; in Tem-

Pſ. 77. 20.

plo

plo Præſentationem proximè imitantur. Primò ſtatim, paternæ admonitionis ictũ, tam pronâ voluntate excipiunt, ut procul ſemotis & Præſidum virgis, & Prophetarum imperijs, cœptas ſui ipſorum victorias proſequantur, ſemperque oculos gerant lachrymis humidos, exprimente tam teneros ſenſus pietate, quibuscunque vel duræ indolis, vel educationis infæcundæ ingratijs. Atque hi demum in veras ſe fingunt Servatoris effigies, dedignati Jordanis nomen, Rupis appellationem adoptantes, quòd ille, quem Arcâ præſente, aquarum naturæque ſuæ impetum prodigioſo genere obſequij domuiſſet, abſente reſolverit; hæc verò vim ſuam, ac Legiſlatoris imperium, producto conſtanter profluente, tenuerit ac perpetuârit. Nempe parùm id Chriſto eſt, ſi te in Arcæ conſpectu vincas, ac dum efficacis virgæ ictus perſonant. Eos ille demum amat ſuóſque cenſet, qui vel ſoli, nullóq; cuſtode appoſito, Divinæ gratiæ voces nihilominus exaudiunt, cœptámque cum

pravis desiderijs, congenitísque vitijs pugnam, nullo temporis puncto remittunt.

126. At enim, inquies, naturam quis exuat? Is, inquam, qui gratiam induerit. Putásne tu, obsecundâsse naturæ vel rupem vel fluvium, quo tempore illa torrentes edidit, hic retinuit? Nolim tamen Dei Domum hâc invidiâ cumulare, tanquam vitæ sanctitatem in ea, aut non nisì labore maximo consequi possimus, aut nullo. Non igitur exuendam indolem extirpandámque naturam, sed emendandam esse dico. Tantum abest, ut in Dei servis opprimi naturam velim, ut etiam eorum, qui ad nos accedunt, acri vividáque indole plurimum me delectari profitear. Hæc nimirum vis atque ardor animi muneribus nostris apprimè congruit, sive orandi dicendíque labores, sive Missiones, ac totam deniq; vitæ Apostolicæ rationem spectes: ij enim muneribus ejusmodi feliciùs defunguntur, quorum venas natura puriore sanguine replevit, pectúsque flammâ generosiore succendit. At virtuti, ac salutis alienæ studio

mili-

militet oportet hic ardor, non otio, non curiositati, atque licentiæ. Acres, impigri, strenuíque ut sitis, opto; sed modestiam quoque, sed pietatem pariter requiro: útque perturbationum vestrarum victores, & Crucis cupidiores, quàm vestri, sitis, magnopere postulo. Quî autem, inquis, in Alumnis crucis res tam diversas, ignem & aquam, alas ac compedes, laborem ac quietem conjungemus? Fateor, me non satìs scire, quid optem: illud verò persvasum habeo, eos, qui Deo se se in templo dedicant, tales prorsus esse oportere, qualis Veronæ Athesis exstitit, cùm alveo suo egressus, ad D. Zenonis ædem accessit. Mirum dictu! Dies agebatur urbi sacratissimus, frequentissimáq; concio templum repleverat, cùm flumen, ad patentes templi fores fenestrásque, adeò inexpectatum adfuit, ut omnem fugæ locum præcluderet, mox, ùt videbatur, omnia oppressurum. At enim de tanta inundatione, nè stilla quidem, ædis sacræ pavimentum aspersit. Quid? quòd majore adhuc sibi vi illatâ, sanctorum Martyrum vene-

venerationem teſtata eluvies eſt. Quippe, cùm periculi magnitudo inediáque, concluſi eo loco populi ſitim accendiſſet, ac pro ſe quisque calices phyaláſque ad templi valvas, aquam hauſturi, attuliſſent, ijdem illi fluctus, qui, nè Chriſti cultores obruerent, in veſtibulo conſtiterant, ultrò ſe in admota vaſcula transfudêre. Tam prodigioſæ Hiſtoriæ fidem adſtruit Sanctus Gregorius, qui tertio Dialogorum libro ſcribit in hunc modum: HAURIRI, *ùt aqua, poterat*, SED DIFFLUERE, *ùt aqua, non poterat. Stans ante januam, &* AQUA ERAT AD ADJUTORIUM, ET *quaſi* AQUA NON ERAT AD INVADENDUM. Potéſtne vitæ noſtræ forma magìs appoſita, quàm quæ ab Atheſi vel furente, deſcripta eſt, excogitari? Perſeveret ſanè in nobis nativæ indolis vis, ſed quæ ſanctitati non obſtet, imò verò commodet. Exultet ſanè mentis vigor igneus, non qui leges convellat, ſed impleat. Sit ſua luminibus acies, ſed quæ cœlo defigatur; ſit os eloquens, ſed de cœleſtibus rebus, ſed conceſſis tempori-

Lib. 3. Dial. c. 9: To: 32. 420.

poribus: corpus ipſum ad curſum emicet, nempe ut ad Indos properet, non ut otiosè vagetur. Dicant denique poſteri, de conſecratorum Deo adoleſcentûm temperie : *Aqua erat ad adjutorium, & quaſi aqua non erat ad invadendum.*

127. Fieríne autem poteſt, ut in Divinæ Gratiæ ſinu collocatus, immoderatas naturæ cupidirates non obliviſcatur? Atque hæc erat legitimæ donationis conditio tertia, cui videlicet ſatìs haud eſt, citò, promptéque fieri, nisì plenè itidem, cum integra propriæ voluntatis abdicatione, religioſarúmque exercitationum exquiſito ſtudio, conficiatur. Nec enim, mihi credite, Tabernaculum Dei dignè ſubit, qui alterius rei, præter Deum, memoriam ſecum infert. *Introibo in potentias Domini : Domine memorabor juſtitiæ tuæ* Pſ. 70. 16.
SOLIUS. Quisquis ſyncerè, atq; ex animi ſui ſententiâ, ſe Deo dicavit, tantum abeſt, ut ſolatia humana honoréſque caducos amet, concupiſcat, emendicet, ut etiam ignoret, an uſpiam ejusmodi res exiſtant, ac peregrinæ prorſus ſeu barba-

ræ illi ſint voces, utpote infra deſtinationem ſuam tanto ſitæ intervallo. Eapropter Chriſtus, Eccleſiam ſuam informaturus, non Patriam, Parentésque deſerere, non Magiſtratibus nuncium remittere, à ſpectaculis & triumphis oculos, ab opibus & honoribus animum avertere, ſed rerum iſtarum omnium imagines, ipsámq; adeò memoriam juſſit obliterare. OBLI-
Pſal. 44. VISCERE *populum tuum, & domum patris tui.* Idem planè S. Hieronymus in Pacatulæ Virginis educatione requiſivit, ut in caram Deo Sponſam adoleſceret. NE-
Epiſt: 12. ad Gaudent. To: 1 71. SCIAT, inquit, *præterita,* FUGIAT *præſentia, futura* DESIDERET. Hoc ſcilicet eſt, valedixiſſe ſæculo, ſi nec mentem referas, unde fugiſti, atque inſuper omnem ejus ſpem evaſeris, ignarus an mundus in mundo ſit, duréntque etiamnum, quibus ille componitur, elementa; concupiſcentia videlicet oculorum, impotentia linguæ, licentia morum, cupiditatésque naturæ.

128. Divinè prorſus David, cùm, religioſas ejusmodi conſecrationes, ebrieta-

tem

tem mentis appellavit. INEBRIABUNTUR *ab ubertate domûs tuæ, & torrente* *Psal: 35.*
voluptatis tuæ potabis eos. Miratus metaphoræ vim Auguſtinus, ad ſacra cænobia, eorúmque, qui ſe cruci configant, ardores, Vatem reſpexiſſe ait, cúmque exprimendæ beatæ illi Apotheoſi, quâ, primis ſtatim temporibus, conſecrandæ religioſæ mentes eſſent, propriæ voces non ſuppeterent, felicis inſaniæ, divinæq; cujusdam temulentiæ, & quâ futurum eſſet, ut neſcirent illi, quò aut unde veniſſent, vocibus uti coactum fuiſſe. Id videlicet patiuntur, quos vini copia oppreſſit. Nullum apud hos, vel opes, vel dignitas pretium, nullus cognati ſanguinis amor, aut Regiæ dignitatis admiratio : non genus jactant, injurias laudésque juxtà habent, nullo amicorum, familiarium, ignotorúmque diſcrimine, totos ſe dulci violentiæ, quâ vini calor eorum mentes expugnavit, permittunt. Age verò, nónne illud ingens Ordinis noſtri dedecus foret, ſi cœleſtium ſenſorum torrentibus inundati, non perinde efficeremur, nec eadem effi-

cere-

ceremus, quæ vino non copiosissimo poti homines consveverunt. Itáne mero victi, nec præteritorum meminerint, nec futura concupiscant, nec præsentia pensi habeant; atque is, qui divinum calicem libat, imò quem cœlestium solatiorum flumina intrant, Genus jactabit & Proavos, retractabit voluptates, commoda, honores, otia consectabitur? Fallit me profectò hæc divinatio: quippe, INEBRIA-
In Psal: 35. BUNTUR AB UBERTATE DOMUS TUÆ. *Quæsivit verbum*, inquit
To: 12. 100. Augùstinus, *unde loqueretur, & quia vidit, homines in ebrietate* ACCIPERE VINUM, ET PERDERE MENTEM, *vidit quid diceret, quia cùm accepta fuerit ineffabilis lætitia*, PERIT HUMANA MENS, ET FIT DIVINA. Quòd si autem fidem non impetrat Davidis oratio, facta Martyrum impetrabunt, quos libato mero tam efficaci, nec Filiorum amor, nec carnificum terror inflexit. Non vitæ commoda, quorum jacturam faciebant, non imminentium tormentorum dira vis movit, ignaros, quid inter amico-

rum,

rum, conjugum, charissimorúmque pignorum amplexus, & Tyrannorum furias, lictorúmque immanitatem interesset. *Hoc jam calice inebriati erant Martyres, quando ad passionem euntes,* SUOS NON AGNOSCEBANT. QUID TAM EBRIUM, *quàm non agnoscere Vxorem flentem, non Filios, non Parentes?* His videlicet prodigijs inclarescunt, qui prorsus & ex animo se Deo tradidêre. Quid igitur est, quòd non omnes tam beata ebrietas occupat? En tibi obicem! *Ibid.*

129. Non omnes in hanc domum divinis irrigatam delicijs, simul corpus, simul animum inferunt. Fieri quin etiam potest, ut Hebræorum perfidiam nonnemo imitetur, qui corpore quidem in solitudine, mente verò in Ægypto habitabant, cúmque hinc mannâ pascerentur, illinc cucumeres cæpásque esuriebant. Age massam auream trabémq; abiegnam in mare projicito, videbis continuò mergi metallum, nec priùs consistere, quàm in imo uniones inter & corallia acquiescat. Supernatabit interim trũcus ille silvestris,

vilissimâ algâ, semesorúmque cadaverum reliquijs oneratus, quovis aut auræ, aut undæ motu agitante. Non dispar Dei domum inhabitantium sors est. Quemadmodum enim altum religiosæ virtutis ingressus, summâ tranquillitate maximóque meritorum quæstu perfruitur, sic, qui non nisi superficiem tenet, inquietus, jactationíque obnoxius vivat, necesse est. Et visus est Psaltes, ignavorum strenuorúmque diversissimam fortunam mente præcepisse; dedignatus enim summis tantùm undis insistere, altissimos omnis perfectionis vortices pronus intravit. *Veni,*
Psal. 68. 3. exclamat, *in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Atque hæc beata illa dilectarum Deo mentium naufragia sunt, cùm ejus amore actæ, & Christi Infantuli exemplum secutæ, Sacerdotibus sese ac Templo dedicant obedientiæ victimas. Quemadmodum enim illius etiamnum fascijs involuti, admirabilis prorsus dedicatio exstitit, sic aliæ innumerabilium aliorum Hebræorum fructu pariter ac laude caruerunt: non enim tam ipsi se se obtule-

tulerunt, quàm à parentibus, in speciem duntaxat, oblati fuêre. Nemo igitur solâ loci, quo degimus, sanctitate, nec solâ sacrificij, quo Deo immolamur, specie sibi placeat, nisì consecrationem nostram ultrò amemus, pronáque voluntate arripiamus, quicquid ingratum, laboriosum & ab humanis affectionibus alienum, ac cœpto semel vitæ generi accommodatum suscipere nos oportet. Perinde videlicet in hoc sanctitatis seminario usuvenire solet, quod nullo non anno sementi terræ in spem frugis concreditæ accidit. Triticum juxtà paleæque in agris proveniunt, tametsi sulcis ijsdem, tum illud, tum istæ creverint, earundem pluviarum humorem suxerint, eodem sarculo repurgatæ, ab eodem colono cultæ, eâdem falce demessæ, in eandem aream illatæ, eâdem triturâ subactæ, nec nisì unâ eadémque vanno eventilentur. Huic tantæ soli, cœli culturæ, ac rusticani instrumenti similitudini una duntaxat diversitas se miscet, quâ omnis illa tritici paleæque affinitas, utcunque conjunctissima videri potuerit,

tuerit, penitus diſſolvitur. Nempe usûs differentia facit, ut triticum recondatur in horreo, paleæ verò vel flammæ in pabulum, vel jumentis in ſtratum abjiciantur. Audiri citra horrorem nequit, quod in hoc argumento diſſerit Auguſtinus. PROPINQUAT PALEA GRANO: *de uno ſemine exit, in uno agro radicatur, unâ pluviâ nutritur, eundem meſſorem patitur, eandem triturationem ſuſtinet, eandem ventilationem exſpectat:* NON IN UNUM HORREUM INTRAT. Quicunque religioſæ vitæ rudimenta ponunt, eadem conclavia incolunt, eodem Dei verbo nutriuntur, ab ijsdem pendent uberibus, doctrinæque ejusdem lac hauriunt: in unius Patris ſinu mentis ſuæ arcana deponunt, earundem legum ductum ſequuntur, ijsdem temporibus ſimul omnes aut legunt, aut precantur. Eodem loco ac tempore, ijsdem religioſæ aſperitatis pœnis in ſe animadvertunt, ſimul ad divina myſteria accedunt, ab eadem manu peccatorum vinculis abſolvuntur, & in religioſæ perfectionis ſemitam deducuntur.

In Pſal. 54. Tom: 12.203

At

At enim non idem eſt omnium progreſſus, alij quippe, eáque pars major, vel ex ipſis carceribus ad metam procurrunt vitæ non modò inculpatæ, ſed quam Præſides probent, æquales mirentur, veterani venerentur. Eſt contrà, qui eodem in gradu hæreat ſemper, nec ultrà tendat, Ductoribus ſuis gravis, paribus juxtà majoribúsque inviſus, fortéq; etiam S. Fundatori exoſus, ac Deo parùm acceptus. Idem porrò, quod recèns initiatis propoſui, ijs quoque, qui Divino ſervitio jam olim ſe dedicârunt, dictum volo, tantóq: id etiam magìs, quò pluribus nominibus religioſæ vitæ perfectioni obſtringuntur, ac tum divinæ muneribus domûs, tum cœleſtium cognitionum favis diutiùs copioſiúsque recreati fuêre. Nam ſi religioſorum Ordinum, ut ſic dicam, infantes meritò reprehendimus, nisì feſtinatè, nisì ſuapte ſponte, nisì plenè ſui ipſorum dedicationem perficiant, quantò digniores ſupplicijs, vitæque hujus beneficio indigniores futuri ſumus, ſi poſt tot annos in templo exactos, nec loci ſanctitas in ſe

converterit, & ex ara in forum, ab holocaustis ad vanas seculi pompas, caducæq; felicitatis rosaria, cogitationes animósque retulerimus. Cur autem ego hos metus ingero, cùm videam Tirones, juxtà & Veteranos in procinctu stare, ut, quam sui fecerunt dedicationem, crastinâ luce cum Christo instaurent, parati tam corpora mortificationis cultro submittere, quàm animos in proprium huic vitæ generi fastigium asserere: eo consilio, ut & pœnitentiæ stimulis icti, & contemplationis alis instructi, tam procul à seculo, quàm propè à cœlo absimus, Divini Tabernaculi non tam hospites, quàm inquilini. Quem se devovendi ritum si Domus nostra servaverit, eâdem celebritate in cœlo Angeli munera nostra prosequentur, quâ nos Christi Præsentationem, Virginis Matris ministerio, Filij voluntate perfectam, Patri suo cœlesti super Hierosolymitanam Aram sese offerentis recolimus.

EX-

EXHORTATIO XLVIII.

In Pervigilio B. Stanislai, solemniore ritu Beatis accensi.

Similem illum fecit in gloria Sanctorum. *Eccl. 45.*

Elegi abjectus esse in Domo DEI mei magìs, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. *Psalmo 33.*

R*Eligiosorum virorum, quos tanto in honore habuit Salvianus, maximum decus ac gloria inde promanat, quòd germanam Christi effigiem referant, non eam quidem, quam ille in Thabore gloriosus, sed quam in Calvario plenam ignominiæ cruciatúsque exhibuit. Eapro-*

pter trium Magorum exemplô, facultatum ornamentorúmque nostrorum thesauros, vel abjectißimi in stabuli seu locis, seu ministerijs Servatoris obsequio impendamus, oportet. Imitari lubeat Stanislaum, tam demissè de se ipso, in tanta generis claritate, sentientem, ut priùs quoque, quàm Societati nomen daret, non dubitârit pro famulo Dilingæ, pro mendicabulo in itineribus, atque in Urbe demum jam noster, se pro Sodalium omnium novissimo gerere. At enim tantus sui deprimendi ardor, non nisì in magnas mentes cadit, quæ videlicet infra fastigium suum ducunt, quidquid non divinum, non æternum est. Proba, Virgo nobilißimæ stirpis, nè meminerat quidem, se in purpura natam esse. Paulus nondum ad edenda prodigia DEI

mu-

munere provectus, concionatur tamen, & ærumnas sustinet. Nos quoque par est, amorem Societati operámque nostram approbare, tametsi nullis ab ea honoribus culti. Miseros illos cœtus, si quando splendidorum munerum ambitioni, abjectorúmque odio paterent; continuò enim fœdis intemperantiæ maculis, Deo sic permittente, dehonestarentur. Hactenus quidem apud nos, quò quisque doctior, eò etiam Modestiæ Demissionisq; amantior exstitit.

130. BEatum Stanislaum, magnum illum Dei servum, tum sua virtus, tum Numinis indulgentia singularis, prodigia atque promerita, in tam sublimi omnis sanctitatis fastigio collocârunt, ut nè cogitatione quidem assequi possim. Quis enim satis intelligat, in te-

nero adhuc, & necdum ad juſtam magnitudinem provecto corpore, animum habitare tam capacem ac plusquam Giganteum, qui paucorum, quos vixit, annorum, ac pauciorum, quos in Tyrocinio exegit menſium ſpatio, maximos quoſque Sanctos & emeritæ virtutis exempla æquaverit, multóſque etiam cœleſtium donorum ac prodigiorum multitudine ac gloriâ ſuperârit. Vivum tum Deipara, tum Cœlites ſui conſpectu recreârunt; quin ipſe quoque Dei Filius, in primæ infantiæ ſpeciem conformatus, amplexu ægrotantem dignatus, ſui amore ac Spiritûs Sancti diviniſſimis donis cumulavit. Semel atque iterum ſacrâ Synaxi refectus ab Angelis, novum ac penè inauditum miraculum Eccleſiæ Annalibus addidit. Coràm familiaritérque cum cœli Regina ſermones miſcuit. Jam in Deum tam ſvavi támque frequenti à ſenſibus abalienatione ferebatur, ut parùm abfuerit, quin, cœleſtibus delicijs impar mortalis animus, ſuccumberet. Humanis deinde rebus ereptus, mortem atque elementa ſub jugum

gum misit, impressis in aqua, in aëre, terra atque igni, triumphalibus victoriæ suæ vestigijs, sive cùm submersis cadaveribus vitam, arefactis stirpibus vigorem restituit, sive cùm imminentia incendia procul ab Urbibus arcuit, maximósque Exercitus, in Religionis ac Patriæ excidium ruentes, stitit, suǽque gloriæ radijs eminus, cominus inter primos Catholicorum ordines dimicans profligavit. Nulla humani corporis pars est, quæ sanctissimi Adolescentis potentiam non senserit, atque ejus beneficia, depulsis lethalibus morbis, non passim celebret ac veneretur. Ut adeò triumphalem Stanislai super astra evecti cursum sequantur audita supplicum vota, elementa naturam vertere coacta, debellatum morborum genus omne, varium, violentum ac multiplex, ipséq; præcipuos inter cœli Proceres proprijs virtutibus coronatus, mirabilis emineat orbi terrarum. *Similem illum fecit in gloria Sanctorum.* At quibus, inquies, alis in tantum fastigium evolavit Adolescens, ac penè puer? Virginitate, inquam, & Humilitate;

te ; quarum altera integritatem Angelicam æquaret, & candore ſuo ſolis jubar anteiret: altera obſcura adeò eſſet atque depreſſa, ut infernis penè tenebris par, cũ denique invidiâ dignum reputaret, qui inter homines poſtremum, aut nullum etiam locum occuparet. Tempus haud patitur, me de utraque Virtute diſſerere: transmittam itaque priorem, quæ tametſi alteram amœnitate ſplendoréque poſt ſe relinquat, adeò tamen delicatæ ſunt & fragiles deargentatæ ejus pennæ, ut offendas, ſeu laudaturus, ſeu ſuaſurus pertractes: accedit, quòd Stanislaus ipſe laudatoribus ſuis, illúdque *ſimilem illum fecit in gloria Sanctorum* ingeminantibus, reponat: ELEGI ABJECTUS ESSE *in domo Dei mei, magìs quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Planè acſi diceret : quiſquis celſitudinem meam miratur, demiſſionem imitetur. Hujus amor, & manifeſtum Deiparæ oraculum, è Paterna domo in eum Virorum religioſorum cœtum me tranſtulit, qui tempeſtate illâ omnium odijs, atque obtrectationibus expoſiti, quàm

quàm longiſſimè à profanis juxtà ſacríſq; Magiſtratibus, voti etiam ad hoc ipſum nuncupati, religione arcebantur. Tam altè ſubvectus ſum, quàm & ipſi fatemini, & Chriſti Vicarius, decretô meo nomini publicô cultu, teſtatur, eò quòd, omni virium contentione, id unum conſectatus ſum, ut me deprimerem, abſconderem, ac ſepelirem quodammodo. Nec aliter ſe res habuit, licétque nobis ad Stanislaum, Pauli primò, ac dein Bernardi verba transferre: *Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit. Deſcendit ſiquidem* QUO INFERIUS NON DECUIT; *aſcendit* QUO CELSIUS NON POTUIT. Atque hanc ſui depreſſionem ſvadere omnibus hujus Societatis Filijs in animum induxi, quam Fundator ſuus altiſſimæ, immobilíque religioſæ demiſſionis baſi ſuperſtruxit: & primùm quidem oſtendam, qualem eam in omnibus eſſe conveniat, tùm quantis cultum ſuum præmijs remuneretur, neglectum ſupplicijs ulciſcatur.

Epheſ. 4.10.
Ser: 18. ex parvis.
T: 51. 14.8.

131. Nemo veſtrûm ignorat, per quot diſ-

discrimina, quantísque incommodis Stanislaus Patriam Parentésque reliquerit; ego verò transfugæ manum injicio, & quid causæ est, inquam, quòd tam præcipiti fugâ paternam domum deseris, sub cujus tecto de infernis hostibus triumphâsti, Deiparæ conspectu, divinissimíq; ejus Filij amplexu recreatus, vel inter profanos homines vitam sanctissimam agebas? Contrà Stanislaus: domo, inquit, illâ, in qua cœlesti præsidio dæmonibus præstor invictus, & ad prodigiosæ virtutis decora provehor, non aliam ob causam excedo, quàm ut humilitatem in ædibus vestris reperiam, quam in meis frustrà requiro. Equidem Divinæ Clementiæ tot nominibus æternùm obstringor, quot illa cœlestibus donis, nihil tale merentem, cumulavit. Nisi tamen Servatoris mei, eò usque meâ causâ depressi, aliquam in me ipso similitudinem exprimam, in tantis divinæ gratiæ delicijs mæstus vivam, ac nè vivere quidem me putabo. Tametsi enim non desit mihi intrà domesticos parietes, quô pudefiam, quippe, cùm Paulus Frater

ter, nec injurijs, nec verberibus abſtineat, méque tanquam mancipio abutatur, has tamen qualescunque humilitatis imagines, tot alia decora illinunt, ut non tam Chriſti demiſſionem imitari, quàm oppugnare videri poſſim. Injurijs ac contumelijs exagitatus, heteromallo nihilominus induor, periſtromata calco, gemmis coruſco, clientibus ſtipor, nobilium virorum amicitijs affluo, ſummósque inter Regni Proceres proximum gradum teneo. Atque adeò omnis hic profanorum luminum ſplendor, qui me circumdat, abjectionem, quam ardeo, prodigiosâ quadam, votísque meis, heu! nimiùm quantùm importunâ eclipſi intercipit. Vitam vivere concupiſco, adeò geminam illi, qui natus in ſtabulo, centonibus involutus, inter fabriles labores, in officina ignobili educatus, Diſcipulos Piſcatores, cùm ad erudiendum orbem ſe compararet, latrones collegas, cùm in cruce moreretur, optavit; eò me conferam, ubi nemo reſciat, qui fuerint Majores mei, quibúsque Terris imperârint. Non quieſcam, niſi

lapi-

lapidis inſtar in altiſſima mei depreſſione, tanquam in centro recumbam. Conſtitit ſua dictis fides, priùs quoque, quàm inter nos propoſitum ſibi locum occuparet. Tantam enim Evangelicæ demiſſionis hæreditatem ſibi præripuit, (dum adhuc experimentum caperetur de religioſi conſilij conſtantia) ut vel eâ ſolâ poſſet inter modeſtiſſimi cujusque Inſtituti innumerabiles Alumnos primogenitus haberi. Dilingano Seminario famularem operam locavit, quósque nobilitate, aut anteibat, aut certè æquabat omnes, eos, licèt ingeniô atque ætate feroces, viliſſimis quibusque ſordidiſſimíſque obſequijs colebat, labores ac vigilias inter mediaſtinos reliquijs ciborum tolerans, quæ de menſa herili ſuperaverant. Inde digreſſus, nullo comite, ignotásque per Gentes, ad hoc noſtrum Tirocinium viam exorſus eſt, mendicato pane victitans, ſomnum vel inter pecudes, vel ſub dio capiebat, ubique pro mendico, pro exule, & hominum noviſſimo habitus ac neglectus. At verò, cùm ſe inter Ignatij Filios cooptatum,

tum, jámque penitus noſtrum intra hæc ipſa, quæ habitamus, cubicula conſpexit, nunquam aut voce, aut alio indicio, vel genus ſuum prodidit, vel cætera, quibus ornabatur, decora patefecit. Enimvero tantis natalibus, ac prodigijs illuſtris adoleſcens, tùm triumphabat maximè, cùm ſerviret, non minùs in Aram, quàm focum intentus; ut illinc ſe ſe transfunderet in Deum, hinc infra omnes abjiceret. Sanè cùm primarius quiſpiam è Purpuratorum Patrum Senatu, ejus viſendi gratiâ, quippe non ignarus quàm claris Natalibus ortus eſſet, hanc domum accederet, non dubitavit Stanislaus, ùt erat ſerviliter præcinctus, & coquinæ fuligine ſordidus, occurrere, ſi modò Præſidibus placuiſſet, angelici Miniſtri modeſtiam dignitati Hoſpitis præhabere. Nè omnia perſequar: nulla erat animi corporíſque exercitatio, quam æſtimaret, niſi abjiciendi ſe ſe materiem ipſi præberet; non præmium, niſi ex ignominia captabat; nec alacriùs evolabat ad metam virtutis, quàm cùm per calcatos honores, ſuíque depreſſionem

cursus esset. Obversabatur semper oculis Christus, adeò infra homines dejectus, ut de se diceret: *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis:* ad eámque formam sensus, rationes, motus omnes, se denique totum integerrimus Adolescens componebat. Psal. 21.

132. Atq; huc præcipuè collimant religiosi Ordines universi; ex ijs videlicet hominibus coacti, qui, quàm procul ab hominibus degunt, tam sunt ijdem rigidæ paupertatis, aliarúmq; afflictationum incommodis circumsepti. Inopiam verò, quæque illam ærumnæ consequuntur, verecundiacumulat, nec alius vitæ religiosæ commeatus est, ut cui Christi amor instar est omnium, & tecti, famulorum, victûs denique vicem præbet. Hinc Salvianus Massiliensis Episcopus, posteaquã hominum genus omne, cætúsque Christianos omnes torrente quodam Apostolicæ vehementissimæque orationis inundâsset, cùm ad Cœnobiorum vestibula ventum est, impetum repressit, retróque flexit, pró reprehensione reverentiam deferens,

ferens, ut, quæ veluti consummatæ sanctitatis sacraria, eúmque, qui religiosè vivendi formam ac leges sectaretur, Christi, post vitam in summa rerum omnium penuria exactam, infami mortis genere sublati, spirantem effigiem appellaret, juxtà & veneraretur. Exstabunt, inquit, in voluminibus meis religioso sub Præside viventium, & in horas, obedientiæ victimas se facientium nomina, non tam ad ipsorum gloriam sempiternam, quàm ad scriptorum meorum decus, tantum abest, ut vitam eorum, morésque laudatissimos in contentionem, ac judicium vocare constituerim. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus. Hos enim ego* OMNES *non aliter, quàm imitatores Christi honoro, non aliter, quàm Christi imagines, colo; non aliter*, QUAM MEMBRA CHRISTI *suspicio: & ad hoc tantùm illorum memini, ut eorum memoriâ dignus fiam.* Verumenimvero ad hoc laudis & virtutis penè divinæ fastigium, neque cellæ angustiæ, neque victûs vestitúsq; tenuitas nos provehunt. Accedat oportet honorum fu-

Lib. 2. ad Eccl. Car. To: 54. 132.

ga, contemptûs & obſcuritatis amor, & de poſtremo inter Sodales loco muneréque omnium ignobiliſſimo certamen; Ea videlicet Chriſti inter homines agendi ratio, id, honores dignitatésque fugientis, latebras contrà opprobriáque conſectantis, inſtitutum ac conſilium fuit. Eáque propter Ambroſius Evangelicæ Profeſſionis Diſcipulis ac Profeſſoribus ejusmodi legem ſcribit. NEMO HIC FULGERE QUÆRAT, *nemo ſibi arroget*, NEMO SE JACTET. *Nolebat ſe Chriſtus hìc cognoſci, nolebat prædicari: Venit, ut lateret ſæculum hoc.* Nempe vel ab ipſis prodigioſarum actionum fulgoribus laudatores Servator removit, tum Elephantiacos, quot perſanaverat, tum Dæmones, quos fugârat. *Vide nemini dixeris. Non ſinebat ea loqui.* Hinc diſcemus, religioſíne viri nomine dignus ſit, Prototypo ſuo fortè neque par, neque ſimilis? At enim imitari JEſum, at ejus effigiem fideliter reddere, at in ejus membra fingi penitúsq; immutari debemus. *Hos enim ego* OMNES *non aliter, quàm imitatores Chriſti honoro,* *non*

Lib. 3. Offic. c. 5. To. 54. 55.

Matt. 8. 4.
Marc. 1. 34.

non aliter, QUAM CHRISTI IMAGINES *colo, non aliter, quàm Christi membra suspicio.* Et ille quidem Regnum, arreptâ in montes fugâ, declinavit, maluítque sylvæ solitudinem, ac societatem ferarum. Idem, qui servos, & Centurionum mancipia coràm convenire, sanaréque sustinuit, Regulorum ædes subire, ad impertiendam Hæredi Filio sanitatem, dubitavit. Quâ igitur ratione illius effigiem esse dicemus, qui primos accubitus, cathedras, dignitates, qualescunque in hoc vitæ genus cadere possunt, exambit; qui stirpi suæ splendorem addere non suum, somniatísque Majoribus, & adscititijs ornamentis se se tollere vanissimo studio contendit, DEI Filio interim dissimulante, quod erat, & Divinitatis suæ radios densissimis tenebris premente? *Nemo*, ah nemo! HIC FULGERE *quærat. Nemo sibi arroget, nemo se jactet.* Quâ deinde fronte, Dei eousque exinaniti sectator, immeritos honores prensabit, séque sibi mentietur? *Nolebat se Christus* HIC COGNOSCI.

133. At enim obſcuritas iſta tanto ſtudio laboréque Servatori quæſita, nihil eſt ad abjectionem, cujus formam nobis idem Dux noſter, exemplárque propoſuit, tribus potiſſimùm, ùt Bernardus notavit, deſcendendi gradibus diſtinctam. Prior illum ad ſtabuli ſordes abjecit, alter ad crucem truſit, tertius denique ad mortem tumulúmque propulit, infami Epitaphio notatum, quale videlicet rabies barbariésque Sacerdotum juxtà àc plebis ponere poterat, ſalutis auctore violatarum legum, civitatis in fraudem inductæ, ac Divinitatis affectatæ nomine per atrociſſimam calumniam traducto. *In deſcendendo primus quidem gradus eſt à ſummo cœlo uſque ad carnem, ſecundus ad crucem, tertius uſque ad mortem.* Per totidem deſcenſus noſtra ſe ſe modeſtia debet demittere: vetat primus, nè eminere velis inter æquales: jubet alter, ut minimis minor eſſe cupias: poſtremo nulla ſatìs abjectio eſt, quæ in exercitationis & muneris humilitate non contumelias inſuper & cruciatus reperiat, videátque ſe tum à Præſidibus negligi,

Serm. 18. ex parvis. To. 51. 148.

gligi, tum æmulis eſſe contemptui. *Deſcendamus per viam humilitatis, ponatúrque nobis ejus primus profectus*, NOLLE DOMINARI: *ſecundus*, VELLE SUBJICI: *tertius*, IN IPSA SUBJECTIONE *quaslibet contumelias & injurias illatas æquanimiter* PATI. Jam verò an ſinguli minimi hujus Ordinis Alumni decedere omnibus, omnibus ſubjacere ſuſtineant, támque illuſtri exemplo virtutis, nunquam antè conſpectæ, provocati geſtiant, ſi quando illaudati neglectíque, nullum operæ ſuæ uſum aut pretium, apud Societatem ejúsque Præſides eſſe vident, Deúmque virtuti ſuæ ſic omnem mortalis ſtipendij ſpem abſcindere, ut nemo ſit, qui verecundiam, ſilentium, laborem, & poſtremum inter omnes, ſeu ſapientiæ, ſeu alienæ ſalutis ſtudio locum prenſantis, modeſtiam æſtimet; id ego unicuiq; cum animo ſuo reputandum relinquo. Perſuadere tamen ſibi debet, quiſquis hanc formam non exprimit, nè illam quidem cum Deo, tam diu ignoto, tótque opprobrijs cumulato, ſimilitudinem ſe referre,

adeóque, quam in ipſo Salvianus mirabatur, Servatoris effigiem perdidiſſe: *Hos ego omnes non aliter, quàm Chriſti imagines, colo.*

134. Fieri præterea poteſt, ut, qui ſe in Chriſti effigiem fingit, comitetur hunc ille quidem ad Thaborem uſque ſole lucidioribus radijs reſplendentem, & illuſtri ſacrorum Vatum coronâ vallatum; quin porrò proſequendum putet in Calvariam à lictoribus laniatum, & infami de trabe, duos inter latrones, ſuſpenſum. Petrus quoque in gloriæ ſede tabernacula figere parabat, cujus deinde alter ſupplicij collis nè umbram quidem conſpexit. Multi videlicet exclamant: *Bonum eſt nos hìc eſſe*, dum cœli plauſus exaudiunt, ac felicitatis æternæ triumphos contuentur Non ingrata oculis noſtris, aut imitatu gravis Chriſti ſpecies eſt, ſplendoribus æternis coruſcantis: minùs verò arridet eadem, cùm Vir dolorum apparet, cumulatus opprobrijs, & Barrabæ poſtpoſitus. Non poſſum proinde trium Magorum invictam demiſſionem non magnopere mirari:

Matt. 17.4.

rari:

rari: attulerunt illi secum è patrijs ditionibus tam magnificam de nato Messia opinionem, ut Hierosolymas delati, quem gemmatis evinctum fascijs, & diademate redimitum credebant, per fora plateásque inclamarent: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Edocti subinde tum à Principe, tum à Sapientium cœtu, Puerum tot votis quæsitum, Bethlemij residere, illuc continuò iter converterunt, haud dubij, monstratam nati Principis Regiam, tantundem Hierosolymæ magnificentiâ ædium, frequentiáque nobilitatis antestare, quantò Herodem Tyrannum cœli Conditor hominúmque Rex superaret. Et ecce! super ignobile Oppidulum stella constitit, tantáque dejectos expectatione, nè in parietinas quidem, aut tugurium aliquod introduxit: ut adeò, si quidem tam longi causam itineris conspectum desiderati Regis optarent, in stabulum penetrare se se, juxtáque mutas animantes in præsepi ac fœno collocatum, atq; centonibus malè tectum quærere cogerentur. Quis tam pleno ignominiæ spectacu-

lo offensus, non hospitem hìc pariter hospitiúmque damnâsset? At illi neque suscepti laboris pœnitentiâ ducti, neq; fraudatas spes suas indignati, vilissimis cunis, & algenti trementíque Infantulo non opes tantùm suas, verùm etiam se totos consecrârunt, non tam corpore, quàm mente pedibus ejus subjectâ. Attonitus rei novitate Bernardus, quale hoc prodigij genus est, inquit, nobilissimos Reges cultu, venerationéque suâ nihilominus dignum censere, quem infantem, eúmq; infantium omnium egentissimum misserimúmque cernebant? NON ILLIS SORDET STABULUM: *non pannis offenduntur, non scandalizantur lactentis infantiâ.* PROCIDUNT, *venerantur ùt Regem, adorant ùt Deum.* Quàm autem sæpe redeunt ista Bethlemij theatri spectacula, quàm crebrò ista Magorum historia renovatur! Quot vestrûm, quæso vos, post comparata multo sudore sapientiæ, rebúsque maximis gerendis præsidia, post perceptas traditásque pari felicitate gloriáque disciplinas, obedientiæ ductu ad

Serm. 1. in Epiph.
To. 43. 32.

igno-

ignobile quodpiam domicilium munúsque non minùs obſcurum tranſmittuntur: ubi neque in Sodalibus, neq; in Præſide, quod magnopere mirentur, inveniant. Sed enim, qui Chriſti humilitatem ex animo ſectatur, omnes nervos, facultatem, ſcientiam, ad explendas quantumcunque abjecti muneris partes conferre conſuevit, eodem planè ſtudio ac diligentiâ, quâ ſummo cum plauſu, in celeberrimis totius Evropæ Exedris, Divinitatis arcana, vel Pontificum Cæſarúmque Orator Evangelium de ſuperiore loco exponeret, ſubeſſétque Præſidi totâ Societate doctiſſimo juxtà humaniſſimóque. Atque huic, ejúsque ſimilibus poſſis recitatas modò laudes tribuere: NON ILLIS SORDET STABULUM, *non pannis offenduntur, non ſcandalizantur lactentis infantiâ.* Oſculantur iſti parietes, intrà quos ſordidæ plebeiæque pueritiæ prima Latini ſermonis elementa tradunt, atque eam, veluti conſularium Familiarum poſteritatem, intuentur. Adeò ſe ſe ad rudium illorum ingeniorum menſuram fingunt,

gunt, adeò patienter ſedulóque in eorum culturam incumbunt, ut Trajani ac Theodoſij prolem inſtrui diceres. Jam verò, quod de uno aliquo miniſterio noſtro diſſerui, vos porrò ad alia transferte, quæ nullum ſive dignitatis, ſive alterius emolumenti fructum reportant. Atque hæ quidem mentes, ùt proximè accedunt ad ſimilitudinem cum Orientis Principibus, ſic tam procul abſunt à Petri ſententia, nondum edocti, quanta ignobilibus officijs nobilitas inſit, cupientiſque tenere faſtigium, in quo Servator humanæ naturæ vilitatem Divinitatis ſuæ ope dignitateq; Matt. 17.4. ſuſtulerat. *Domine, bonum eſt nos hìc eſſe.* Quódque magìs mirêre, eam ille ſententiam dixit, poſt aſſertam Meſſiæ divinitatem, támque luculento teſtimonio con-Matt. 16.16. firmatam, quàm erat illud: *Tu es Chriſtus Filius DEI vivi.* Nempe ſubmiſſionis Evangelicæ, gratiſſimæ Deo, præmiorúmq; cœleſtium feraciſſimæ, Myſtica Theologia, præ ſubtiliſſima illa alia, in Divinarum Perſonarum arcana obtutum quodammodo defigente, difficiliùs capitur, quando

do Apoſtolorum Princeps, æternam Verbi generationem, naturæq́; humanæ, & ſecundæ in Trinitate Perſonæ Hypoſtaſim, tam felici cognitione aſſecutus, tam magnanimô teſtimoniô prolocutus, ut cœli claves, & Chriſtianæ Reipublicæ Principatum inde referret, hallucinatus ſubinde graviter fuit, ignarus penitus, Servatoris nec mortale, nec caducum, nec humano ſimile Imperium eſſe. Hinc prolapſus ulteriùs, meritam reprehenſionem tulit, crucem mortémq; à Dei Filio cùm auderet amoliri. Denique blandâ illa, & plenâ dignitatis imagine captus, in illuſtri monte, juxta Regem gloriæ, Amicus & Collega reſidere optavit, immemor itinerum, difficillimarúmq; expeditionum, quas Apoſtolis omnibus, in omnes orbis plagas indici audiêrat, poſthabitô Regiæ magnificentiæ tabernaculô, honoris ac quietis deſideriô, tot Populorum ſalute ac converſione. ABSIT *à te Domine, non erit tibi hoc.* *Qui converſus dixit Petro: Vade poſt me* SATANA; *ſcandalum es mihi:* QUIA NON SAPIS EA, *quæ Dei ſunt,* *Matt. 16.23.*
ſed

ſed ea, quæ hominum. Adeò videlicet humilium Regem offendit, ſummæ licèt ignominiæ horror, & Crucis fuga Divini Senatûsconſulto decretæ. *Satana ſcandalum mihi es.* Quis crederet? tam ſeverâ animadverſione modò caſtigatus Petrus, non jam verbis, ſed re ipsâ removere à Magiſtro ſuo Calvariæ ignominiam tentavit, fixo in Thabore tabernaculo; ubi pro majeſtate mundo jus diceret, procul à monte illo alio, in quo vitam erat alioqui cum dedecore & infamia poſiturus. Prô, quàm difficilis eſt Evangelicæ obſcuritatis intellectus! quàm à paucis illa æſtimatur, quantóque à paucioribus adamatur! Petrus ille, qui omnia reliquerat, qui omnia nôrat, toto ferè eo tempore, quo Chriſto convixit, altiſſima myſteria neſcijt virtutis ejus, quæ cæteras Meſſiæ virtutes, ſi non ſuperavit, ſummas ſcilicet, adeóque pares, viſa tamen eſt pro modulo intelligentiæ noſtræ palmam univerſis præripuiſſe; teſtante Apoſtolo, & abjectionem præ cruciatibus venerante; ut cui primas tribueret, dolore ſecundas obtinen-

tinente, alterum rectà, alterum obliquè demonstrans: *Humiliavit ſemetipſum, factus eſt obediens uſque ad mortem.* Phil. 2. 8.

235. Age jam, ſi demiſſionis ſtudium, quia longè difficillimum, tales támque pretioſas coronas cultoribus ſuis elaborat, omne profectò pretium ſuperet neceſſe eſt, quæ illius conſtantem amorem diligentémq; cuſtodiam conſequuntur. Nemo noſtrûm non audivit Ambroſium, ſæculi transfugas & contemptores invitantem ad infimas cum Magdalena corporis Chriſti partes prenſandas, oſculíſque juxtà, & odoribus honorandas. NOLI FASTIDIRE PEDES: *fimbriam illa tetigit, & ſanata eſt.* Nemo tam durus fuit ac frigidus ijs menſibus atque annis, quibus, mundo valere juſſo, crucem toto patrimonio & libertatis impendio ſibi comparavit, qui non omni ſtudio contenderet, ultimus inter Sodales, in eadem ſecum probationis Domo verſantes, videri & eſſe, primum eâ ratione locum apud Superos poſiturus. Optavimus omnes centonibus indui, menſæ reliquijs paſci, palàm

Lib. 6. in c. 7. Luc. To: 44. 138.

làm argui, laboribus atteri, ſudoris pluri-mum, nihil dignitatis habentibus; concla-via ſcopis everrere, Xenodochijs navare operam, captivis ſtipem conquirere, pe-regrè tectum victúmque mendicare, im-portunis precibus fatigare Præſides no-ſtros, nè quid ſublime, aut honorificum de nobis deſignarent, nè munijs niſi ob-ſcuriſſimis deſtinarent, ut vacare à collo-quijs Parentum, ab officijs Virorum Illu-ſtrium, æternáque oblivione ſepelire no-bis liceret, quidquid ad Natalium daretur ſplendorem, ad ingenij exiſtimationem pertinere ullâ ratione poteſt : contrà promere, quæ ad elevandam famam, no-ſtríque contemptum Sodalibus concili-andum, opportuna viderentur. Hæc, in-quam, talia tùm erant vota noſtra, hæ ra-tiones conſiliáque univerſa. Subinde non ad unum omnibus eadem deſideria du-rant, párque Chriſtiani improperij ſuper omnes Regum triumphos æſtimatio per-ſeverat. Sed enim loquamur ſimpliciter, noſtríſque propriè vocibus utamur. Dic, amabò, veſtíſne te minùs interpolata de-

lectat?

lectat? humiliórne classis afficit? alios cursu æquandi, metámque & cujuscunq; splendoris copiam nanciscendi fiducia labori solatio est? an contrà exanimaris, & ad desperationem adigeris, si vel metus suboriri potest, nè felici exitu studia literarum absolvas? Enimvero hoc esset Societatis ac Christi Cruci affixi pedibus osculum panxisse, labris etiamnum à lacte madentibus, eósque deinde sic aversari, ut vel sola inferioris gradûs, obscuriorísque muneris suspicio mentem tibi eripiat. NOLI FASTIDIRE PEDES. Quàm verò mihi venerabilis, & admiratione omnium dignus videtur, qui ad extremum usque spiritum in Societate constanter cupit latere ac negligi, nullúsque potiùs esse inter omnes, quàm minimus. Et quid est, cur vel Societas, vel Christus de quolibet affirmare nequit: *Ex quo intravit,* NON CESSAVIT *osculari pedes meos?* Luc. 7:45. Sanè hic talis rationes cœli impleret omnes, & promeritorum multitudine fœnus sibi cumularet ingens, immensum: quisquis cum Stanislao fateri potest, *Elegi ab-*

abjectus esse in Domo Dei mei. Has palmas annumeret cœlo, non alio quàm stellarum numero finiendas, non alio, quàm divino ærario remunerandas. Quòd si non mihi, Ambrosio certè fides habebitur, qui modestè de se sentientibus accidens ad pedes, inexhaustum ijs meritorum thesaurum pollicetur: *Non mediocris hæc meriti est, de qua potest dicere: Ex quò intravit, non cessavit osculari pedes meos.* Illucescet tandem ille dies, S. Francisco Indiarum Apostolo sacer, quo superiorum Disciplinarum in hac Romana Provincia Professor egregius, cum bona mea venia, votum Deo nuncupabit, quotannis, quámque poterit exquisitissimis precibus, à Præsidibus suis postulandi domicilium omnium egentissimum, munus vulgò neglectissimum, & quidquid demum Apostolicæ vitæ gustu carentibus insuave & ingratum accidit. Is profectò, si ejusmodi sanctissimum propositũ constanter tenuerit, S. P. N. de se sibi dicentem audiet: *Ex quò intravit,* NON CESSA-

Lib. 6. in c. 7. Luc. To. 44. 132.

SAVIT osculari pedes meos, vilissima quæque appetens, incurius meliorum.

136. Nemo autem ærumnosæ hujus abjectionis felicissimam conditionem exiret, qui rerum Divinarum meditationi assvetus, non munia solùm, quæ apud nos plusculùm eminent, verùm ipsos etiam Curules Regúmq; thronos subjicere pedibus, capitíque, coronæ locò, Crucis opprobrium, Evangelijque jugum imponere didicisset. Equidem istud animi se se super omnia erigentis fastigium DEUS Isaiæ verbis promisit omnibus, qui in divinarum paginarum arcana, meditatione duce, penetraturi se olim essent. *Sustollam te super altitudines terræ.* Calcat mundi depressa, puta ignominias, inopiam, contemptum, quisquis de plebe homuncio. *Quasi* QUÆDAM INFERIORA TERRÆ, *sunt damna, contumeliæ, egestas, abjectio, quæ, ipsi quoque amatores sæculi, vitando calcare non cessant.* Pergens subinde Gregorius edicere, qualia sunt cacumina, quæ tam stolidâ admiratione Adami posteritas suspicit: ALTITUDINES AU-

Isa. 58.

Lib. 31. Moral. c. 19. To. 33. 559.

TEM TERRÆ SUNT, inquit, *lucra rerum, blandimenta Subditorum, divitiarum abundantia, ſublimitas dignitatum.* Hoc genus larvæ, quas humana ſuperbia ſic exornat, ſic auro & purpuriſſo illudit oculis, & naturæ vitio cœcatis, & Divino lumine non penitus colluſtratis, magnificâ Divinitatis cujusdam, & proximæ Superis felicitatis imagine imponunt. Quid? quòd ipſis etiam mundi transfugis, & ſacrorum Ordinum Alumnis fucum faciunt, lapidémque, in quem offendant, objiciunt, ſi quos vel deſiderium, vel admiratio rerum caducarum deduxit in terram. *Quæ, quiſquis per ima adhuc deſideria incedit, eò ipſo alta æſtimat, quò magna putat. At* SI SEMEL COR IN COELESTIBUS FIGITUR, MOX, *quàm abjectæ ſint, cernitur, quæ alta videbantur.* Audin', quid ſapientiſſimus juxtà & ſacratiſſimus Pontifex moneat? Da mihi mentem meditationum rerum cœleſtium debitam, jam illa Libani Cedros Regiæque fortunæ montes aureos, tanquam littoralem arenam & ſinapi granum reputabit.

bit. *Si* SEMEL *figitur*, MOX *cernitur*. Quî ergo fieri poſſit, ut eum ego precandi ſtudioſum eſſe arbitrer, qui, cùm ipſas etiam Regum Regnorúmque fortunas, & amplitudinem flocci facere deberet, qualiacunq; noſtra munia, Conſulum faſcibus, eorúmque humilitatem Olympo exæquat; ſibi deinde mirificè plaudit, ſi fortè, ingratos ùt plurimùm Diſcipulos, erudit altiore in claſſe, eóſque opulentos ac nobiles abſolvit in ſacro Tribunali; quod, pudet dicere, minùs longè ab Ara maxima ad apſidem receſſit. Deum immortalem! quid æquè miſerum & miſeratione indignum foret, ſi, quod non eſt, grande quiddam & inſtar omnium nobis videretur; iidémque illi, quibus à Deo provincia impoſita eſt, Populis omnibus humanæ felicitatis damna, Imperij terreni vanitatẽ, Natalium quantumcunq; illuſtrium obſcuritatem demonſtrandi, in ipſa dein vitæ noſtræ humilitate culmen honoris, neſcio quod, & in ſacco pompam affectarent? Quòd ſi autem, ùt corpore impreſſiſque pavimento genibus, matutinæ pre-

cationis horam transigimus, sic mentem in DEum intenderemus; enimvero in punctum & nihilum, aut si quid nihilo minus est, universus nobis dehisceret orbis terrarum, & quælibet crucis insignia, præ omni Regum magnificentia amplitudinéque, subjectas sibi Provincias Populósque imperio prementium, potiora nobis ducerentur. *Si semel cor in cælestibus figitur*, MOX, *quàm abjecta sint, cernitur, quæ alta videbantur.* Facit proinde laudatus modò Pontifex, ut credam, aut à semisopito, aut altùm dormiente, horam eã transigi, qui magnificè adductóque supercilio de Principum stemmatis & honorum titulis penè ad invidiam disputat. *Si cor figitur in cælestibus*, MOX, *quàm abjecta sint, cernitur, quæ alta videbantur.* Necesse proin est, neque Deo, neque cœlestium rerum contemplationi mentem illam vacare, quam inanis mortalium fastus tam acri lumine perstringit atque hebetat. *Sustollam te* SUPER ALTITUDINES TERRÆ. Prorsus, ùt qui in Apenninum, rupem alpestrem evasit, quas nuper

nuper ex humili ædes & arces attonitus mirabatur, eas ille jam vix animadvertit; sic contemplationis alis in edita collium æternorum subvecto, mortalia omnia subducuntur atque vanescunt: solâ jam Evangelicæ demissionis modestiâ venerationem, ac plenam majestatis dignitatem obtinente. *Qui in summis intentionem figere nititur, dum nullam vitæ præsentis gloriam esse deprehendit, super terræ altitudines elevatur, & quod priùs, in imis desiderijs positus, super se credidit, pòst ascendendo proficiens, sibi subesse cognovit.* Sic ratiocinantem Gregorium, est tamen, qui interpellet argumentatione, quàm ab ore religioso alienâ, tam execratione audientium odióque dignissimâ. Negat degener aliquis, & à reliquis omnibus Ignatij Filijs longè diversissimus, ob innatam animi magnitudinem non posse se in postremis hærere, nec in loco gradúque inferiore acquiescere: exstimulari se se identidem nativo quodam, qui in pectore ferveat, ardore ad summa quæque connitendi, calcatis omnibus, quæcunque seu media, seu

infima jacent. Hunc talem, si quidem inter nos est ullus, manifesti mendacij coarguit Ambrosius, patritiâ stirpe, Prætoritio munere clarus, Magistratuum honorúmque intelligens, ac denique Mediolanensi Pontificatu insignis: Non magni sunt, inquit, illi spiritus, non animi magnitudo, sed infirmitas virtutis inopiáque est, admiratione ignavâ suspicere, quidquid inter mortales plusculùm eminet: sed ea demum animi magnitudo vera, beatísq; spiritibus gemina indoles est, quæ Regalia sceptra ùt palustres cannas, paludamenta veluti centones, trophæa tanquam ignominiæ notas, Diademata denique compedes æstimat: seséque, quæ demum vera sapientia est, altissimæ contemplationis pennis ad DEI solium evehit, & in ejusdem immensitate ac Divinitate, quidquid divinum non est, aspernata, quidquid ad Christi cultum imitationémque facere potest, quantumcunque in se contemptum ac vile sit, rebus omnibus anteponit. *Non enim, ùt Dilectores hujus seculi putant,* PARVI CORDIS, AUT SEGNIS

Epist. 84. ad Demetr. To: 40. 102.

GNIS

GNIS EST ANIMI, HONORES OCCIDUOS FASTIDIRE. *Nihil hujusmodi mentibus rectius, nihil invenietur electius, quæ ſacratiſſimis deſiderijs* UNIVERSA TRANSCENDUNT; *neque ad ullam creaturam, quamvis potentem & mirabilem, ſed ipſum omnium ambiunt Creatorem.* CUI APPROPINQUARE, CLARESCERE EST; QUEM TIMERE, GAUDERE EST; CUI SERVIRE, REGNARE EST. Quàm puſillum eum animum oportet eſſe, quem rerum caducarum quælibet implet; quàm verò capacem, qui Regna Regésque ſupergreſſus, in Deo duntaxat acquieſcit! cui adeò vaſta, adeò generoſa unquam vota fuerunt, nil non immenſum, non omni ex parte infinitum, non immortale cupienti.

137. At enim veræ in Deum pietatis præſtantia in tantum faſtigium evaſit, ut rerum pomparúmque terrenarum non guſtum modò & deſiderium extinguat, verùm etiam memoriam omnē aboleat, non paſſura vel ad cogitationem admiti,

quæ in humanæ felicitatis ſinu, & inter avitæ gloriæ trophæa educatos fortuna excepit. Hinc S. Fulgentius, Gallam Viduam, cujus animo Pater Conſul nondum exciderat, velut in effigiem, Probam Virginem juſſit intueri, quæ, licèt ſtirpe Senatoriâ, longâ ſerie Avorum edita, magnificis in ædibus Regijsque delicijs adoleviſſet, adeò nihilominus Chriſtianæ Evangelicæque demiſſionis amans ſemper exſtitit, ut abdicatis dignitatibus, & egenorum turbæ, cui famulabatur, immiſta, neque Natalium ſuorum ſplendorem, neque exercitum in Subditos imperium memoriâ retineret: *Proba, cùm ſit Avis Atavisque nata Conſulibus, & delicijs Regalibus enutrita*, TANTA ILLI EST HUMILITAS INFUSA, *ut amore ſubjectionis, ex uſu ſerviendi*, DOMINAM ALIQUANDO SE FUISSE, JAM NESCIAT. Enimvero Regem gloriæ Deique Filium, eò uſque ſalutis noſtræ causâ dejectum, ut tanquam unus de plebe ac mercenarius, tricenos ipſos annos in fabrili officina exigeret, poſtremos vagus primùm

Epiſt. 2, ad Gall. Viduã To. 16. 7.

mùm & exul, tùm damnatus & infami de trabe ſuſpenſus abſolveret, intuenti Heroinæ illi pudori erat, natam eſſe in purpura, ac nè à Rege ſuo Sponſóque diſſentiret, quoad liceret, ſimile vitæ inſtitutum, labore manuum obſequióque in egentes ſequendi cupido inceſſit: *Scit enim à Domino (cui Virginitatem vovit & cordis & corporis) pro liberatione noſtra humilitatem formæ ſervilis acceptam. Et* OB HOC *delectatur Sponſo,* IN HUJUS SERVITUTIS HUMILITATE. Quis autem nobis in ſupremo illo mortalium omnium judicio defenſionis locus relinqueretur, ſi, qui ùt plurimùm Probæ Virgini de Nobilitate concedimus, atque inſuper Apoſtolicæ demiſſionis ſtudium profitemur, ex ipſis deinde laboribus exercitationibúsq; noſtris gloriam aucuparemur? Non is de ambitu, vel Probâ judice, condemnaretur, qui in religioſæ humilitatis ſchola honores dignitatéſque affectaret? Avertat Deus illud à famulis ſuis ſummæ turpitudinis monſtrum, quale foret, in cruce poſitum thronos & dignitatum faſtigia vel

vel appetere vel ſomniare. At, ô me miſerum! fieri poteſt interdum, interdum inquam (non eſt repetitio iſta memoriæ vitium, verba difficulter expedientis, ſed orationis ad ea, quæ conſequuntur, expaveſcentis trepidatio) poteſt, inquam, interdum fieri, ut quis nobilior majórque velit in Domo Dei eſſe, quàm fuerit in ſua, imperiúmq; in Sodales exerceat, ad quod, ob paternæ domûs obſcuritatem, aſpirare, aut cogitationem vertere auſus profectò nunquam fuiſſet. Quam gloriæ cupiditatem erumpentem è ſtabulo, & à cruce Chriſti, omni genere opprobriorum cumulati, non verbis, ſed fulminibus inceſſit Ambroſius: túne, inquit, cedere renuas, cui, cùm in ſæculo degeres, quantumcunque eſſes ambitioſus, exterior incedere, & vel de via decedere cogebaris? *Tu*
L.4. in Luc. To. 13. 85. *faſtidias*, QUOD NATUS ES? *Dominus propria non deſideravit, tu aliena quæris?* Nempe Proba nobilitatem ſuam inficietur, quibus orta parentibus ſit, immemor; atque erit inter nos terræ filius aliquis, qui Heroas inter & ipſe videri illis cupiat?

Quî

Quî ferat Lucifer ambitionem suam, cui tamen materiam suffecerat prima inter Cherubinos dignitas, condemnatam in cœlo fuisse, si deinde viderit, quem, incurrente in oculos nullo non tempore Christi demissione, secundi fortè loci tædeat, tametsi in hoc exilio, in hoc pulvere, non primus eum locus exceperit?

138. Neque verò adversùs pestiferam istam luem, seu ambitæ, seu retentæ dignitatis, vel illi satìs fortes sunt, qui cadaveribus, quàm spirantibus simulacris similiores, fruticibus victitant; qui setosis cinctibus corpus includunt, lachrimísque & sanguine perfusi, in pœnas duntaxat vivere videntur. Nulla tam rigida vitæ austeritas est, quæ non feratur ametúrq;, si modò, quàm corpus plagis atteritur, ac fame minuitur, tam exultet interim animus, præcipua sibi munia vel destinans, vel gratulans. Id nempe Gregorij ætate Anachoretis evenit, & Pastoribus Populorum, quos inediâ consumptos, ac cinere inspersos gloriæ splendor & imperij, ac potestatis majestas solicitabat. *Ossa jeju-* *L. 4. Ep. 66. Mauri: Imp. Tom: 32. 24.*

nijs

niјs atteruntur, ET MENTE TURGEMUS. *Iacemus in cinere, &* EXCELSA RESPICIMUS. *Doctores humilium, Duces superbiæ, ovinâ facie lupinos dentes abscondimus.* Declamamus è superiore loco in purpuram, honorum fugam, opum profusionem, contemptum Regnorum svademus: subinde, nisi nos præclaris muneribus Præsides occupent, diripimus larvā commendatæ nuper Auditoribus nostris modestiæ, & sub simplicium agnorum specie, velut lupi grassamur, ac genuinum infigimus, segniùs quàm vellemus, ad propositum fastigiū nos evehentibus: Christianorum illorum axiomatum immemores, obliti nostrî, condemnatis Præsidum, tum iniquitate, tum partium studijs. *Ovinâ facie* LUPINOS DENTES *abscondimus.* Et quamvìs apud paucissimos Filiorum meorū stabuletur versipelle istud noxiosissimúmq; simulationis monstrum, cùm plerique omnes certatim id solum ambiant, ecquis altero jacere inferiùs, longiúsque tolerare labores possit, non ideo tamen certi sumus, nè, tot inter con-

val-

vallium lilia, urtica quæpiam caput attollat; & Carmelo ac Thabori, quà summus eorum est apex, deplantari perfrictâ fronte deposcat. Nequeunt aliquando, religiosissimorum cæteroqui & austerissimorum cœtuum Antistites, subditorum vel alacritatem, vel quietem sibi promittere, nisì, obscurorum munerum modio extractos, conspicuæ Provinciæ candelabro imponant.

139. Mirabiliter huc facit divina Gregorij de aëre animadversio, elemento, quô nullum flexibilius, obsequentius, ac cedere paratius; nullum non motum sentit, qnamlibet impressionem, formam, colorémque admittit: jam fragrat inter aromata, jam putet in olidis lacunis, quámque interdiu fulget, tam densâ per noctem caligine squalet. Hoc idem tamen terrâ obrutum clausúmq;, tam ipsam movet, ac Provincias cum Urbibus excutit in sublime. *Vniuscujusque rerum*, ait Nyssenus, CAPAX EST AER, *non proprium colorem habens. non figuram, non superficiem, sed alienis tum coloribus, tum figu-* *Hist. 6. dier. To. 13. 29.*

ris

ris inficitur & informatur. Nam & splendidus illustratione lucis, & rursus niger, dum umbrâ involutus est, evadit. Nullo negotio utrimque cedit, & fissus hinc inde retrocedit. Cave tamen terræ submittas, arctésque fastum elementi, cùm omnia ferat, opprimi & in angustias redigi, se nullâ ratione laturi. Funestum ejus rei experimentum habemus, cùm in Syphones compingitur, & comprimitur in catapulta, quam ventosam dicere possis: vix enim seu scintillam corripuit, seu spirandi viam, laxato per artem exitu, accipit, cùm erumpit impetu tam violento, quàm oculi auresque testantur. Jam verò ejusmodi probri exsortes, aut procul abesse à similitudine horribilis illius violentiæ, nè illi quidem se arbitrentur, qui, cæterà modesti ac morigeri, placidè acquiescunt regentium imperijs. Non enim rarò contingit, ut sacrarum Deo Familiarum Patres, subditorum suorum modestiæ diffisi, omnibus eorum desiderijs obsecundent, veriti, nè occupati laboriosis obscurísque munijs, turbas cieant, & tranquillitatem domesticam per-

perdant. En vobis paradigma! Gloriabatur ille Prodigi major natu Frater apud comunem Patrem, quòd toto vitæ tempore ſubjectum ſe, mandatíſque omnibus audientem præſtitiſſet. *Ecce, tot annis ſervio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi.* Luc. 15. 29. Verè tu illud quidem dicis; hoc verò quî colligis? nempe nullum Patris imperium abnuiſti, non ſanè obſequendi promptitudine, jubentíſq; reverentiâ, ſed quòd indulgentiſſimus Pater, non ignarus quàm contumax tibi foret ingenium, quàm retinens, quod ſemel concupiјſſes, abſtinuerit ſcilicet non placitura mandare, frenúmque, ruenti quò te ferebat impetus, laxârit, id profectò venatio demonſtrat, à qua modò rediјſti Ut adeò non obedientiæ tuæ, ſed illius indulgentiæ prudentiǽque tribuendum ſit, quòd nondum recalcitrâſti. Quod paternæ caritatis, & juvenilis protervia indicium Chryſologo debemus, celebrem illam Parabolam mirabili felicitate interpretanti. *Nunquam mandatum tuum præterivi. Hoc* Serm. 4. *tibi non tua innocentia*, SED PATRIS Tom. 36. 106.

VENIA DEDIT : *quia multâ charitate delicta Filij maluit tegere, quàm nudare.* Prô quàm sæpe usu venit, ut afflictissimus Præses subjectorum suorum virtutem in discrimen dare reformidet. Novit, quàm ea infirma sit, præsentit querimonias, premi se plus justo putantium; adeóque abstinet, vel laboribus eos onerare, vel coronare diademate humilitatis. *Multâ charitate delicta Filij* MAVULT TEGERE, QUAM NUDARE. Ad primos accu-
Luc. 14. 10. bitus te ultro invitans, *Amice*, inquit, *ascende superiùs*: haud videlicet nescius, nullum te in Agni nuptijs gustum, aut cibum inferioris lecti tædio capturum. Nempe omnes artis & eloquentiæ nervos contendimus, ad Religionis commoda & Populorum salutem promovendam, si quidem Cathedræ atque Exedræ frequentem nobilémque Auditorem habeant, si famæ tuba plausúsque Populorum, ministeria nostra circumsonent. Tolle frequentiam, admirationem, splendorem, continuò illa laboris contentio languet, torpent brachia, & acclamationis desperatio, vel ipsa

agen-

agendi facultatem, aut destituit, aut tollit; quod nolunt velle, posse se negantibus. Apud Ethnicos quoque pro se quisque Reipub: se commodabat, si quando vel Romæ Consules designabantur, vel Carthagine inter Principes, Athenis in Senatorum numerum referebantur: ipsi quoque Præcones, cùm ludis Olympicis adessent, inflare buccam, animaréq; tubas detrectabant, nisì Regum fœdera, & Quinquertij præmia essent publicanda. *Non vis enim, nisì Consul, aut Prytames, aut Ceryx, aut Fuses administrare Rempublicam.* *Lib. 1. de tranquill. Tom. 9. 98.* Nempe exporrectâ fronte, mente hilari severissimarum disciplinarum intricatissimi nodi dissolvuntur, tantíque est, vel sanguinem sputare, dum Academia plaudat Præceptori suo. Non perinde æquo animo, aut non inviti, laborem alium, licèt multò leviorem, sumimus, Græcæ Latinæque linguæ pueris elementa inculcandi. Ut magnis in Urbibus Evangelia interpretemur, diurno nocturnóque labore conficimur, vix auram, vix cibum capimus; caput obtundimus, & ut me-

moria cogitatis periodis fidem præstet, usque ad temporum luxationem cruciamur. Ad pagos contrà & Oppidula, in quibus longè uberiore animorum quæstu, & nullo ingenij tormento rudes instituuntur, improbi percelluntur, non omnes ad Christum in minimis suis honorandum perinde promptè discurrũt. Magnatibus præstò sumus, erecto corpore, aperto capite, & sæpenumero risum ac contemptũ ex obsequio referimus. Nulla verò ejuscemodi incommoda manent in triremibus, custodijs publicis, & Xenodochijs de noxis absolventes, ad quæ tamen, præter invitatos à Præside, pauci convolant. Quid diu vos moror? universi publicæ rei curam gerunt, cùm ad curules sedes evehuntur: cùm verò munijs neque splendorem omnem lucémq; suam sol infuderit, cùm nemo thus venerationis adoleverit, rarus est, qui pedem moveat manúmq; applicet. Capitolium scandimus, sed Dictatores; Athenas moderamur, sed Areopagitæ; defendimus Carthaginem, sed Imperatores, ac Principum

cipum Principes. Is quoque, cui nihil inest grande ac singulare, minimus, aut un' de vulgo esse detrectat.

140. Non eum profectò modum agendi tenuit ipso Apostolici sui muneris exordio Paulus: passus æquo animo fuit minorem sui, quàm Centurionis Cornelij rationem haberi; quando inclyti quidem illi Sacri Collegij Princeps Petrus, Dux ac Præceptor est datus, sibi submissus Ananias, nè postremi quidem inter Apostolos subsellij. Sustinuit subinde ignobili labore defungi, nullo prorsus prodigio insignis, quibus alij interim Neophyti nobilitabantur: non cœcus visum, non gressum claudus illi debebat, at neque statione suâ se depulsum à Paulo fuisse ullus adhuc dæmunculus queri poterat. Jam verò, qui adeò negligi à Deo videbatur, quíque paulò antè humi prostratum, ademptámque sibi lucis usuram meminerat, Evangelium ejus per Synagogas tanto ardore disseminabat, ut maximum sectatorum numerum illi paraverit. (*continuò in Synagogis prædicabat Iesum.* *Actor. 9. 20. 15.*

Accipientes autem eum Discipuli nocte per murum, dimiserunt eum. Quo loco exclamat Chrysostomus, *& non tunc*, inquit, *assecutus est spiritum, qui faciebat signa: non enim miracula fecit. Interim autem illum erudit Ananias, non ducens illum ad eximios Apostolos. Statim habebat Discipulos.* Hæc videlicet indoles, hoc ejus institutum est, qui, cùm Vas Electionis, Gentiúmque Doctor audiat, illis tamen favoribus, quibus tot alij, & vel milites, fruebantur, se destitutum videt. Sic quocunq; demum loco nos habeat Societas, habeat à nobis obsequium, non aliter, quàm si familiæ Principes, præcipuíque tum expeditionum suarum, tum Academiarum Duces ab ea haberemur.

Hom: 20. in Act. Apost: To. 36. 42.

141. Nam qui tùm denique sudare algeréque sustinet, amátque Societatem ùt Matrem, cùm ab ea in altum subvectus, laureis redimitur, unguentísque perfunditur, remotis, quæcunque tenerum fœtum offendere, advocatis, quæ recreare aliquomodo possunt; non is aut amat, aut optimæ parentis filius, aut Ser-

vato-

vatoris ſui ſervus eſt. Sic Dei cultoribus illudit David, quos in officio continebat, hinc cœli clementia, inde agrorum ubertas. *Confitebitur tibi, cùm benedixeris ei.* *Pſalm.* 48. Tùm enim verò Divinæ Providentiæ fidelem ſervitutem ſervies, ſi oculos manúsque in cœlum tollas, licèt inopia te premat & compedes. Cæterùm, qui ſtrenuè laborat, & in vocatione ſua lætus acquieſcit, dum abundat & colitur, non eum profectò Parens Ignatius Alumnum ſuum agnoſcet, neque Chriſtus promiſſo vineæ ſuæ cultoribus præmio remunerabitur. DESPECTA *quippe vox confeſſionis*, QUAM FORMAT JUCUNDITAS PROSPERITATIS. *Sola autem* CONFESSIO *habet magni meritum ponderis, quam à rectitudine* NEQUAQUAM SEPARAT *vis doloris.* *Lib.* 4. *mor.* *c.* 23. *To.* 33.144. Sic univerſæ Chriſti Eccleſiæ ſanctiſſimus ejus Vicarius edixit. Deſinet proinde ſibi fucum facere, qui, quòd in regentium poteſtate eſſe ſe profitetur, omnes religioſi viri partes impleviſſe ſe putat: niſì copiam illis faciat, in quocunque ſeu voluerint,

ſeu publicæ privatæque Ordinis rationes poſtulaverint, ipſum munere ac miniſterio collocandi. Si perinde tibi plaudat depreſſus ac exaltatus, ſi cœlo laudes concinis, ſive neglectam, ſive adhibitam tuam operam videris, nè illa tua lætitia par erit Angelicæ, illúdque tuum obtemperandi ſtudium gratum Deo holocauſtum, & conſtantis virtutis exemplum exiſtet, quam nulla voluntatis obnoxiæ ſimulatio infecerit; jactantis videlicet ſancti propoſiti perſeverantiam, cùm è ſublimi faſtigio ſe prælatum æqualibus, ſummis ſuperiorem, & digito monſtrari conſpicatur. *Deſpecta quippe vox confeſſionis, quam format jucunditas proſperitatis.*

142. Et ô nos felices, ſi Deo duntaxat veræ demiſſionis inopiâ minùs aliquantò accepti efficeremur! Sed enim plùs, quàm credi poteſt, miſeranda noſtra conditio foret, niſì religioſæ ſubmiſſionis decus, veluti pretioſiſſimum theſaurum ſummâ curâ ſervaremus. Longè verò miſerrimos effici neceſſe foret, ſi gloriæ ſitim honorúmq; cupiditatem accenderent

derent eæ dotes ac ornamenta, quæ divina Clementia in nos diſperſit. Tùm enimvero ſolutis cataractis vindicis DEI furor inundaret opprimerétque, quem ſeu gratiæ, ſeu naturæ dona ad dedignandum deſtituta plauſoribus munia, exambiendúmque illuſtrius theatrum ſolicitarent. Itáne verò id ipſum, quod ſtimulos addere debuerat, ut Societati, à qua ad hanc ſapientiam eruditi fuimus, operam noſtram vellemus approbare, quódque, ut magìs magíſque Divinæ voluntati aſſentiremur, facere poterat, id ipſum inquam, cùm illi contumaces, tum eorum, quibus ſuas vices commiſit, imperijs ſurdos efficiet! Horribile prorſus fulmen eſt, quod Gregorius ſeu intorquet, ſeu paratum denunciat ijs, qui cœleſtibus gratiæ muneribus ad faſtum abutuntur, ac modeſtiæ jacturam faciunt; quò doctiores, eò inflatiores; quò majore animorum quæſtu Servatoris munere ditati, majores eò ſpiritus gerentes, & eximia quæque præmia ſibi vindicare promptiores. His talibus ille fœdos lapſus, & in-

honestas ruinas minatur, tumorem ambitionémque castigaturas. Quemadmodum enim degeneres animi cœlestium beneficiorum præsidia in ambitionis venenum vertêre, sic illi ad sanandam eorum arrogantiam, quâ profectò coram Angelis, demissè de se sentientium amantissimis, multò mortaliùs ægrotabant, amissi pudoris probrum, ac turpissimorum ulcerum mephitim adhibet. *Ecce, qui de virtute se extollit*, PER VITIUM AD HUMILITATEM REDIT. Secundùm hæc ità porrò seu vaticinatur, seu disserit Gregorius : QUI ACCEPTIS VIRTUTIBUS *extollitur*, NON GLADIO, SED, *ùt ità dicam*, MEDICAMENTO VULNERATUR, *Quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit ille de vulnere medicamentum : ut qui virtute percutimur, vitio curemur.* Quæ deinde consequuntur, nec ego dicere, nec audire vos sustinebitis, nisì ore velato, auribus obstructis, nè totus ad vos sonus peveniat. *Contra eos hostis antiquus, qui jam interiùs dominatur, etiam exteriùs sævire permit-*

Lib: 33. moral. c. 11. To. 31. 588.

mittitur, ut QUI IN COGITATIONE ELATI SUNT, *per carnis luxuriam* PROSTERNANTUR. Te ego hìc obteſtor, ſacratiſſima JEſu Societas, moneóque, ut manibus pedibúsque, ac toto corporis complexu tibi aſſeras, ac mordicùs retineas hanc, quam profiteris animi demiſſionem, quæ honores averſatur, quæ dignitatibus omnibus internecinum bellum movit: quæ, quod mundus amat, pertinaciter odit, quod odit, ardenter amat; quæ non aliam ſudorum ſuorũ mercedem, aut cursûs ſui præmium ambit, quàm Chriſti Crucis opprobrium: quæ deniq;, veluti erumpens terreſtri è Paradiſo fluvius, ſemper in declive volvitur, atque eâ ratione omnes orbis terrarum partes ſanæ doctrinæ, ac optimi exempli copiâ inundat. Is, qui tibi nomen dedit, Patris æterni Filius, tuam illam à dignitatibus averſionem, tuum modeſtiæ ſtudiũ remuneraturus eſt Angelico candore integerrimæ Caſtitatis, quâ domicilia tua exornari vel hoſtes tui fatentur. Sed enim etiam atque etiam cave, nè vel in uno altero-

teróve Filiorum tuorum, ſuæ illius ſuperiorum ſedium damnatæ appetentiæ loliũ, rebellium Angelorum Ductor diſſeminet. Quam enim ambitionem tu vel diſſimulabis, vel non punies, ille puniet, paucorúmque ſeu vanitatem, ſeu ſanctæ ſui abjectionis horrorem, verecundiâ tuâ, tuorúmque ignominioſis lapſibus vindicabit. *Vt qui humilitatem currentes fugimus*, EI, SALTEM CADENTES, HÆREAMUS. Quòd ſi quis diligentiùs animum advertere volet, deprehendet is profectò non in uno Cœtu, in quo demiſſionis ſtudium nonnihil refrixerit, vaticinio adſtructam fidem fuiſſe: cùm in Alumnis quibusdam ſuis integritatis flores, quorum fragrantia totum Ordinem honeſtabat, in obſcuros licentiæ carbones, non ſinè jactura exiſtimationis publicæ, commutatos agnoſcit. At enim ſcimus, in Salomonis Epithalamio Roſas in planis camporum germinare, & lilia ſuccreſcere
Cant. I. 2. in profundis vallium. *Flos campi, & lilium convallium*. Si nos ipſi ſuſtollimus, non florebimus.

143. Erit

143. Erit forrè aliquis, qui cùm hæc ità ſe habere intelligat, pœnitendam ſe rem feciſſe arbitretur, quòd ad hanc Societatem, in qua tanta ſplendidorum munerum, & ad famam illuſtrium Magiſteriorum copia ſit, vocantem Deum fuerit ſecutus. Sed ego ſuperbiæ metum ponere, ac pro comperto eum habere jubeo, ab adminiſtratione ampliſſimæ provinciæ, & pleni honorum muneris ſummam ſui abjectionē neutiquam diſſidere. Neque aliter egregijs Cœtuum religioſorum Operis, ac Chriſto quondam uſuvenit, ſummâ omnium admiratione, & prodigiorum famâ tùm vel maximè celebrato. Quærentibus Joannis Diſcipulis, eſsétne ipſe promiſſus in lege Meſſias? reſpondit in hunc modum: *Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, mortui reſurgunt: & beatus eſt,* QUI NON FUERIT SCANDALIZATUS IN ME. *Matth. 11.5.* Reſpexit, nisì fallor, ſalutis noſtræ Auctor ad Crucem & Calvariam, quam ſibi & repræſentabat ſemper, & intimè com-

plectebatur, cùm à Populis omne genus obsequij, & venerationis rerum gestarum magnitudo, & doctrinæ præstantia ipsi conciliaret. Hinc quo tempore Populi prodigiosis suis operibus diademata destinabant & aras, ipse tantis meritissimísque honoribus negligenter transmissis, ad flagra crucémque oculos animúmque intendebat. Circumsonabant aures redivivorum è tumulis, & cœlesti sapientiâ eruditorum acclamationes, dum in Pontificum conventu, in Herodis aula, in Golgotha, ubi damnandus, irridendus, configendus Cruci esset, animus interim atque omnia ejus vota versarentur. *Surdi audiunt, mortui resurgunt: & beatus, qui non fuerit* SCANDALIZATUS IN ME. Brevissima, sed divina quodammodo Gregorij Pontificis notatio est, quâ sententiam, redditis Messiæ vocibus suis, exornavit. *Mira quidem facio*, SED ABJECTA PERPETI NON DEDIGNOR. En tibi fœdus, quo suprema docendi agendíque dignitas, cùm ludibriorum & cruciatuum, nullis antè sæculis co-

Hom: 6. in Evang. To. 32. 220.

cognitorum, desiderio copulantur. MIRA FACIO, SED ABJECTA *perpeti non dedignor.* Equidem elephantiasim manu abstergo, sed manus juxtà pedésq; Tortoribus configendos offero. Vinum aquâ mutatum Sponsis propino, non item morienti mihi fel, & absynthium in favos convertam. Audio, qui magnis vocibus Regem Israëlis me salutant, video palmas triumphanti prælatas : multò tamen intentiùs exaudit mens mea inconditos ad mortem me ac virgas deposcentium clamores. *Mira facio, sed abjecta perpeti non dedignor.* Equidem hujus adorandi mysterij umbram quandam in primis, quos hoc minimum Commune habuit, Theologis Pontificijs spectare licuit: quorum cùm in Tridentino maximorum Ecclesiæ Principum conventu, tanta esset auctoritas, par subinde erat in Xenodochijs, ad ægrorum obsequium se se abjicientium, demissio, quam & paupertatis amor, & victus precario acceptus comprobabat. Tam erant alijs ob doctrinæ præstantiam admirabiles, quàm utiles sibi: nec minùs

infi-

infimis familiares, quàm summis: deniq; ijdem, qui modò gravissimas de Theologia quæstiones explicuerant, & Concilij decreta constabiliverant, paulò post pueros Christianæ Religionis elementa simplicissimâ oratione docebant. Neq; verò id sub prima duntaxat nascentis Societatis exordia spectare licuit, licet idem hodie contemplari, dum ipsi Principes Academiarum, præcipuíque Domiciliorum nostrorum Magistri ac Operarij, nihilo seu cultu corporis, seu habitatione discreti, ac Exedris & Suggestu ad custodias publicas, pro captivorum solatio, ad expiandum à noxis promiscuam plebem, ad confirmandos morientium animos excurrunt. Quin ipso feriarum tempore, & cùm ab consvetis laboribus vacant, in adjectos ruri suo pagos Apostolicas expeditiones ab illis suscipi sciunt omnes, & admirantur. Quis deinde non stupeat, quò quisque magis supra cæteros eminet, eundem & Præsidibus subjectiorem, & locorum munerúmque incuriosiorem esse? Hæc enim verò nota est, quâ Pater æter-

æternus Electorum suorum frontem consignat. *Scriptum quippe est*, inquit Gregorius, *Filij autem Israël ambulaverunt per siccum in medio maris. Et per Prophetam, Dominus pollicetur dicens: Flumina non operient te.* Quisquis vero Societatis spiritu animatur, Oceanum sicco vestigio transit, nullis naturæ donis, nullis acclamantium plausibus, nullâ potentium amicitiâ, gratiâ, opinione opprimendus. *Nam qui Sancti Spiritûs gratiam tenet in mente, transit aquas*, ET TAMEN FLUMINIBUS NON OPERITUR: *quia etiam inter medias Populorum turmas, sic peragit gressus sui itineris, ut non submittat actionibus sæculi caput mentis.* Intelligant aliquando universi, maximos Evangelij Ministros, in Christo consecratis ædibus, tanquam minimos versari. QUI SANCTI SPIRITUS GRATIAM TENET *in mente, fluminibus non operitur.* Hîc profectò palleant oporret, atque animis concidant trossuli ambitiosi, & uberum manipulorum syderúmq; suppedaneorum somniatores, qui vulgaribus dotibus vulgíque

Exod. 15. 19.

Isa: 43.

Lib. 6. Ep. 5. Cyriac. ep. Constant. To: 32. 39.

ſordidis plauſibus vaniſſimè tumentes, in ſimpulo tantas tempeſtates excitant, & in paucis ſudoris ſtillis, pro ſalute aliena à fronte deraſis, naufragium faciunt, ac continuò proclamant, nihil non egregium, non eximium ſibi deferendum, commoda fomentáque omnia tam ſibi debita, quàm infra dignitatem ſuam eſſe; eſſe ſe unos, quibus carere Societas nequeat, ac proinde non niſì primarijs Collegijs, ac Civitatibus operam ſuam commodandam. Sic illi: dum alij, viri omni literaturâ virtutéque conſummatiſſimi, quos non minùs docta volumina, quàm fortia facta nobilitant, per vaſtiſſima flumina, & pellucidos unionibus alveos gradiuntur, quin legis ullius immunitatem, aut certam ſedem ſibi audeant arrogare. *Fluminibus non operitur.* Dignum profectò ſpectaculum, modeſtia, poſt laudum gloriæque reportata trophæa; parendi facilitas, poſt res maximas feliciter confectas; obſervantia legum, poſt concitatam reverentiam ac claritatem nominis ſui; ſolutus ab omni loco animus, & ſemper migrare para-

paratus, post edita multiplici eruditione volumina; dignum, inquam, spectaculum, quod pudorem aliquibus exprimat, si qui sunt aut adeò vani, aut adeò sui ipsorum pleni, ut ob exiguam messem, quam illis colligere aliquando contigit, majore quidem Auditorum frequentiâ, quàm fructu; peccantium terrore, quàm emendatione; commoda sibi atque immunitates, nescio quas, arrogare ausint. Tollat pro se quisque vocem cum Stanislao, demississimi animi Adolescente: ELEGI ABJECTUS ESSE IN DOMO DEI MEI. Fixum mihi est, inferiorem omnibus atque etiam infimis vivere; neq; me supra me, vel alios, qualiacunque Dei dona, sustollent. Illic duntaxat primus atq; egregius esse cupio, ubi, post vitam in obscuris laboribus ingloriè ad mortem usque exactam, in Cœlitûm Regno novissimos primos, & minimos maximos esse DEI Filius demonstrabit. Dixi.

FINIS.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

Numerus Paragraphum, non Paginam, indicat.

A.

Te-

D.

S. Gre-

H.

I.

L.

Levi-

M.

Mini-

Mo-

Per-

Q.

R.

Si

S.

Sy-

T.

V.

Z.

FINIS.

[illegible] MS
[illegible]ciones